RESPONSIO ABDIÆ PRÆTORII

Ad

SCRIPTVM D. ANDREÆ MVSCVLI, CVIVS Titulus est, De Bonorum operum & Nouitatis vitæ libertate.

S VIII 62

VVITEBERGÆ.
Anno M.D.LXIII.

Bernhardj.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IOACHIMO *Marchioni Brandeburgensi, sacri Romani Imperij ArchiCamerario & Electori, Stetinensium, Pomeraniæ, Cassubiorum, Slauorum & Crosnæ in Silesia Duci, Burggrauio Norimbergensi, Principi Rugiæ, Domino suo clementissimo.*

Gratiam & pacem in Christo.

ILlustrissime Elector, *Clementissime Domine, Vetus est & consideratu dignissimum dictum, Eum, qui homo est, oportet omnia expectare:* πάντα προσδοκᾶν χρὴ ἄνθρωπον ὄντα. *In eo verò dicto quæ vis inesset, & si ex aliorum exemplis veteribus & recentioribus luculentissimè intellexi, tamen idem in meis quoq; rebus, cùm superioribus annis, tùm recens admodum, experiundum mihi fuit.*

De his rebus possem quidem non pauca commemorare: Sed constat querelas

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IOACHIMO *Marchioni Brandeburgensi, sacri Romani Imperij ArchiCamerario & Electori, Stetinensium, Pomeraniæ, Cassubiorum, Slauorum & Crosnæ in Silesia Duci, Burggrauio Norimbergensi, Principi Rugiæ, Domino suo clementissimo.*

Gratiam & pacem in Christo.

ILlustrissime Elector, Clementissime Domine, Vetus est & consideratu dignissimum dictum, Eum, qui homo est, oportet omnia expectare: πάντα προσδοκᾶν ϰὰ ἄνθρωπον ὄντα. In eo verò dicto quæ vis inesset, & si ex aliorum exemplis veteribus & recentioribus luculentissimè intellexi, tamen idem in meis quoq; rebus, cùm superioribis annis, tùm recens admodum, experiundum mihi fuit.

De his rebus possem quidem non pauca commemorare: Sed constat querelas

me tùm quidem gratas esse, cùm vel maximè sunt necessariæ. Interea tamen vnum quiddam, quod ad præsentis instituti rationem pertinet, silentio præterire non possum.

Non multò post Conuentum Neoburgensem, duobus ab hinc annis, rumor de me vanissimus, ne quid grauius dicam, ad Hercyniam syluam spargi cœpit, quasi Celsitudinis tuæ nomine & autoritate Conuentui Neoburgensi interfuissem, ac defendissem ibi operum necessitatem & meritum in Iustificatione.

Hæc ex amicorum literis cùm initio cognoscerem, non poterant non esse molestissima mihi, cùm non ignorarem, quid ex istiusmodi rumusculis sequeretur interdum, & quantus esset Diaboli malenolorumq; hominum furor. Sed consolabantur me tamen cùm alia multa, tùm hoc imprimis, quòd innocentiæ testimonium non tantùm in mea mente, verùm etiam in amicorum auribus, oculis & cordibus scriptum habebam. Constabat enim me neq; Neoburgensi Conuentui interfuisse, neq; vllos vnquàm errores inuexisse, defendisse, promouisse.

Ne

Ne tamen interea confessionem & famam, quarum altera propter Deum, altera propter proximum opus est, negligere viderer, respondebam amicis, à quibus acceperam illud, partim literis, partim voce, iniuriam mihi fieri indignissimam Christianis, & , vt me pijs omnibus, apud quos opus esse putarent, modestè excusarent, amantissimè precabar. Imò ipsi etiam autori, cuius nomen vnà significatum fuerat, summa cum modestia, quod ex literis probari potest, scribebam , vt non dubitem me excusatissimum ipsi fuisse.

Etsi autem sopitum iri malum istud ea ratione confidebam, tamen experiri me oportuit id, quod de fama dicitur , Mobilitate viget , viresq; acquirit eundo. Adeò enim erant & inuidia efferati & furore perciti , boni scilicet illi viri, vt nec excusationi nec confessioni priuatæ locum vllum darent, quod tamen dextrè agentibus à nullis pijs denegari solet.

Ac id quidem à docto & pio homine, qui ipse me contra canimos latratus defenderat , ad me non sine commiseratione, quantum animaduertere poteram, perfere-

batur, qui quidem etiam iudicium meum de ea doctrinæ parte petebat. In istius igitur gratiam delineare nonnihil de ista materia cœpi: Et idipsum, qualecunq; erat, tradidi ipsi chartis quibusdam inscriptum.

Interea tamen de calumniatoribus & obtrectatoribus non poteram non cogitare: Et vt innocentia mea publicè innotesceret, multis de causis interesse iudicabam. Constat enim crudelem eum esse, qui famam negligit, vt cætera præteream, qua suum quoddam in excitanda cùm confessione tùm defensione momentum habent.

Hìc verò nihil mihi supererat remedij contra tanta καχηνώματα, nec antidoton aliud contra tàm venenatos morsus quàm publica doctrinæ meæ, quam in Academia Francofordiana tradideram & eo ipso tempore tradebam, confessio. Quid enim facerem aliud? Voce ad omnium aures pertingere non poteram: Priuata confessione nondum satisfaciebam. Hìc quid aliud supererat, quàm vel silentium vel publica confessio? Sed ex his duobus, cùm prius illud integrum mihi non videretur, in eo videlicet casu, in quo agebatur de gloria Dei, de doctrina &

ctrina & confessione mea, posterius delegi, vt in publicum cum confessione doctrinæ meæ prodirem.

Ea igitur de causa conscriptam antea explicatiunculam, pauciſsimis duntaxat adiectis, vt ab omnibus legi posset, publicè edendam curaui, addito conuenienti pro ratione materiæ titulo, De bonorum operum & Nouæ obedientiæ necessitate. Neq; enim poteram aliter in isto materiæ statu inscribere, neq; erat illa loquendi forma noua, inusitata, & à verbo Dei communiq; Ecclesiæ consuetudine aliena.

Hæc igitur sunt hoc modo, & non aliter gesta: Ex his etiam fontibus libelli istius euulgati cùm scriptio tùm publicatio promanarunt. Ea in re si quis illo testimonio, quo vel ad καρδιογνώστην vel conscientiam prouocatur, contentus non est, ei ad viuos me offero testes, quorum alij voce, alij literis id, quod commemoraui, testificabuntur atq; deponent.

Non dicam nunc illud, si vel maximè tales occasiones scribendi mihi non fuissent, tamen vsitatæ doctrinæ repetitionem & explicationum mearum publicam confes-

ſionem mihi præcluſam eſſe non poſſe, cùm iſtiuſmodi prouinciam in Academia Francofordiana, vt ſummam doctrinæ cœleſtis publicè traderem, ordinariè mihi commendatam eſſe non ſit ignotum. Nec hoc dicam, ex ipſa potius materia quàm ex occaſione & alijs circumſtantijs de me factoq; meo iudicari oportere. Id enim in omnibus iudicijs Theologicarum diſceptationum & eſt & debet eſſe principale.

Etſi autem in talibus rerum mearum rationibus reprehendi de iure nõ poſſum, tamen prodijt quidã, Andreas videlicet Muſculus, vt, quod per ſe notorium eſt, ego quoq; apertè dicam, qui nõ tantùm de facto meo, verùm etiã de materia calumnioſiſſimè loqui cœpit. Imò & occaſionem ſeſe nactum arbitrabatur vel prorſus opprimendi me, vel certè ex eo loco, ad quem vix triennio antè ſolenniter vocatus eram, exturbandi. Id enim quæſitum ab ipſo fuiſſe, partim ex interpretationibus, partim ex alijs actionibus, quæ eo tempore inſtituebantur, perſpicuè iudicari poteſt.

Nondum tamen ſatis erat illa ſic geri, ſed addebatur etiam aliud quiddam longè vehementius. Idem enim, ſicut aduerſarij

mei

mei personam sibi sumpserat, ita librum etiam aduersus me scriptum in lucem edidit, cum nouo Tituli genere, De bonorum operum & Nouitatis vitæ libertate. Eum meo titulo, De Bonorum operum & obedientiæ nouæ necessitate, tanquàm contradictorium, sicut & totum illum libellum, opposuit. Ex ea tali oppositione seu contradictione præclarissimè sequitur, Nouam obedientiam & opera bona isti homini non necessaria, sed libera esse, hoc est, non esse debitum, sed à debito libera, non deberi, sed posse vel præstari vel non præstari ratione libertatis suæ. Neq; enim potest alius in ista locutionis forma sensus esse: Nec est aliter à pijs & eruditis hoc toto tempore intellecta, prout publicæ aliquot reprehensiones manifestissimè testãtur.

In istis verò libelli mei oppugnationibus nouas edebam confessiones. Post eas ad resolutionem scripti aduersarij animum adijciebam, idq; non tàm meo nomine, quàm vt Illustrissimæ Celsitudini tuæ, quid sentiendum de eo esset, monstrarem.

Interea tamen cum primarijs quibusdam Theologis Augustanæ confessionis, partim coràm, partim per literas, de lite illa

aduersus me mota contuli, & vt certiorem me de suis in ea disputatione sententijs, locutionibus & explicationibus ad auditores suos pro officio vocationis suæ & quasi confessionis loco redderent, quanto potui studio, rogaui: Ac feci illud cùm ad consolationem meam, tùm ad aliorum, qui idem sentirent, confirmationem. Idipsum autem, cùm causa per sese omnibus nobis communis esset, non grauatim obtinui ab omnibus illis, quorum iudicio me submisi. Ac sunt eorum sententiæ iudiciaq; talia, vt in omnibus vnanimi consensu vsitata doctrina de Nouæ obedientiæ necessitate repetatur, & contraria reijciatur, ac id quidem alicubi cum graui aduersarij mei detestatione.

Ab eo verò tempore, de quo iam dixi, cùm animaduerterim æmulum illum meum adeò non ab instituto desistere, vt magis etiam magisq; in multis piorum animis turbandis progrediatur, ita, vt noua etiam in me iacula non sine summa crudelitate direxerit, sicut apparet ex recentiori eius scripto Germanico, quo nihil posset crudelius & nostris Ecclesijs indignius edi, cõmittendum mihi tandem nõ existimaui, vt meæ tranquil-

litatis

litatis gratia publicare negligerem confessionem. Interest enim Ecclesiæ, vt & veritas defendatur, & corruptelis, quàmprimum fieri potest, obuiam eatur.

Quod verò ad Germanicum illud scriptum de Christiana vita, cuius iam mentio facta est, attinet, cùm videam ab ipso causam nostram indignissimè inuolui, obscurari & fœdissimè corrumpi, cœpi ea quoq; in re qualemcunq;, sed tamen piam & verum responsionem instituere, quam ipsam etiam vt I. C. T. quàmprimum videat, Deo dante efficiam.

Quòd verò persecutoris mei nomen in titulo & alibi exprimo, id ideò fit potissimùm: quia satis alioqui notum in his regionibus est, qui sint illi, à quibus de his materijs disceptetur, vt amplius non sit opus hoc honore mutuo in nominibus supprimendis, si tamen est aliquis ea in parte honor. Non dicam nunc, quòd meum nomen primùm ab ipso exprimatur in Germanico scripto B. 4. Nec hoc dicam, quòd liberam mihi copiam eius faciat in eodem scripto A. 2. His de causis non arbitror istius facti nomine grauem aliquam mihi vel T. C. vel aliorum censuram subeundam esse.

Hos

Hoc ipsum igitur scriptum meum, Illustrissime Elector, Celsitudini tuæ nunc offero: Ac peto vnà suppliciter, vt non tantùm errores scripti aduersarij et debilitatem fundamẽtorum eius cognoscat, verùm etiam legitimam causæ nostræ cognitionem instituat, ita, vt vel Theologorum Augustanæ Confessionis iudicia missis vtriusq; scriptis conquirantur, vel certè à vicinis Principibus vnus item & alter Theologus, qui tantæ rei rectè præesse posse videntur, ad legitimam causæ dijudicationem vocentur. Hæc piè me petere non dubito: Nec video, quid possim magis.

Precor autem æternum Deum, vt is sit in medio nostrum, & T. C. ad nominis sui gloriam Reip. publicæ Christianæ salutem paternè regat, sicut scriptum est, Per me reges regnant, & iudices decernunt iusticiam. Et alibi, Reges erunt nutritores tui.

VViteberge Calendis Maij.

1563.

Illustriss. Cel. vestræ

Addictiss. &

obedientiss.

Abdias Prætorius.

TE-

TESTIMONIA

QVÆDAM DE NECESSI-tate bonorum operum ex veteribus Ecclesiæ Doctoribus.

BASILIVS ἀσκητικοῖς Quæstione 287.

Οἱ ἄξιοι καρποὶ τῆς μετανοίας εἰσὶ τὰ ἀνθικείμενα τῇ ἁμαρτίᾳ ἔργα δικαιοσύνης, ἅπερ ὁ μετανοῶν καρποφορεῖν ὀΦΕΙΛΕΙ ποιῶν τὸ εἰρημένον, ἐν παντὶ ἔργῳ καρποφοροῦντες.

Resipiscens DEBET facere fructus pœnitentia dignos.

IBIDEM Quæstione 288.

Ἐπεὶ καὶ τῆς ἐπιστροφῆς ὁ τρόπος οἰκεῖος ὀφείλει εἶναι τοῦ ἁμαρτάνοντος καὶ κατὰ τοῦτον ΧΡΕΙΑ ἄξιον τῆς μετανοίας κατὰ τὸ γεγραμμένον, ποιήσατε καρποὺς ἀξίους τῆς μετανοίας, ἵνα μὴ τὰ τῆς ἐπιφορομένης ἀπειλῆς συμβῇ ἐν τῇ ἐλλείψει τῶν καρπῶν &c. ΑΝΑΓΚΑΙΟΝ τοῖς πεπιστευμένοις τὴν οἰκονομίαν τῶν μυστηρίων πιστεῦσαι ἐξομολογεῖσθαι τὰ ἁμαρτήματα.

Opus

OPVS est fructibus pœnitentiæ dignis.

NECESSARIVM est confessionem fieri apud ministros uerbi.

IDEM.

Οὐ δυνατὸν σωθῆναι μὴ ποιοῦντα τὰ κατ' ἐντολὴν τοῦ θεοῦ ἔργα, οὐδὲ τὸ παρίδειν τῶν προσταγμένων ἀκίνδυνον. Δεινὴ γὰρ ἔπαρσις κρίνειν ἡμᾶς τοῦ νομοθέτου καθέζεσθαι καὶ τοὺς μὲν ἐγκρίνειν τῶν νόμων, τοὺς δὲ παραπέμπεσθαι. Εἰ γὰρ δεῖ τέλειον εἶναι τὸν τοῦ θεοῦ ἄνθρωπον, ΑΝΑΓΚΗ πᾶσα διὰ πάσης ἐντολῆς καταρτισθῆναι εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ χριστοῦ.

Si OPORTET *hominem* Dei *perfectum esse, omnis* NECESSITAS *est per omnia præcepta perfici &c.*

IDEM.

τοῖς εὐεργέταις πᾶσαν εὔνοιαν ἐκπληρωτέον ΟΦΕΙΛΟΜΕΝ.

Benemeritis DEBEMVS *benevolentiam.*

Gre-

GREGO: NAZIANZENUS.

Νόμοις ὑπόκεισαι καὶ κανόσι διαπεπλεγμένοις, καθ' οὓς σὲ ΠΡΟΣΗΚΕΙ ζῆν. καὶ τοῦτο ἀπὸ σαυτοῦ πρῶτον κατανόησον, ὅτι καὶ ἡ ψυχή σου παντοχόθεν πρὸς τῆς ἀρετῆς ὑπόκειται παραγγέλμασι. Ἔλαβες καὶ σῶμα παρὰ τοῦ κτίσαντος πάντα διοδεύσεσιν εἰς τὰς τῆς ζωῆς χρείας οἰκονομούμενον: ἐσὶ δὲ οὐδὲ αὐτὸς ἐλεύθερος καὶ αὐτόνομος, ἀλλ' ἑκάστη δοῦλη νόμων ἔσῃ.

Secundũ Canones OPORTET *uiuere. Anima & corpus ſunt ſubiecta legibus. Senſus hominis* NON *ſunt* LIBERI *& ſui iuris, ſed quilibet eorum* SERVVS *eſt legum.*

CHRYSOSTO.

πᾶσα ΑΝΑΓΚΗ τὸν μέλλοντα εὐαρεστεῖν τῷ θεῷ καὶ δόκιμον εἶναι καὶ ἅγιον μὴ τὸν ἀνετὸν καὶ ὑγρὸν καὶ διαλελυμένον διώκειν βίον.

Omnis NECESSITAS *eſt eum, qui uult placere Deo, bonum eſſe & ſanctam degere uitam.*

Idem.

IDEM.

Ὅρα γοῦν, ὁ πιστὸς ἁβραὰμ τίνα μὲν ὑπόχεσιν ἐδέξατο, τίνα δὲ πράττειν ἠνάγκαζετο.

Vide quæ COGEBATVR *Abraham facere.*

IDEM.

τὸν πνευματικὸν καὶ ἀπόνηρον εἶναι δεῖ, ἁπλοῦν καὶ ἄδολον, καθάπερ ὁ χριστός φησιν, ἐὰν μὴ στραφῆτε καὶ γένησθε ὡς τὰ παιδία, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.

Spiritualem OPORTET *esse sine malitia.*

CYRILLVS.

Εἴκειν ἀνάγκαιον πατράσι τοὺς παῖδας: Ἀλλὰ ἔνθαπερ ἂν ὁ τῆς ἀληθείας ἐλαύνῃ λόγος, τιμάσθω θεός.

NECESSE *est filios parentibus concedere.*

PRI-

PRIMVS LIBER.

DE MANIFESTIS IN ANTINOMICO ISTO Libro erroribus.

I. CAPVT.

DE ERRORIBVS IN PRIMA PARTE.

I.

OPPVGNAT ET REIICIT *usitatißimam Ecclesiæ doctrinam de bonorum operum & nouæ obedientiæ Necessitate. Id ita facit, ut simul etiam attribuat ei fœdißima nomina, & quidem ualde multa: Ex his præcipua sunt, Perniciosum dogma, impium dogma, turpißimum dogma, doctrina literæ, carnificina conscientiarum, notha & adulterina, magnus Christophorus,* der alle Schelcke vber tragen mus / *dogma absurdum & insidiosum.* C. 4. 7. D. 7. G. 5. 7. I. 2.

De isto uerò errore iudicium fieri potest ex multis rebus: Inprimis autem ex uerbo Dei, ex Augustana Confessione & Apologia

V.

In ijſdem uocabulis præter interpretationes illas, cenſuras etiam peculiares conſtituit, nempe quòd ſimpliciter non ſint Theologica: quòd ſint abſurda & impropria: quòd uſus eorum non ſit pius & licitus: quòd prorſus ſint ex Theologia tollenda & explodenda. D. 8. F. 3. G. 4.

Hæ cenſuræ manifeſtiſſimè pugnant cum exemplis & locutionibus ſacræ ſcripturæ, Auguſtanæ confeßionis & Apologiæ, confeßionum multarum Lutheri, Melanthonis & omnium ferè Orthodoxorum. In illis enim uſurpantur hæc uocabula cùm in alijs, tùm in hac quoq; materia, & quidem creberrimè uſurpantur.

VI.

In uocabulis libertatis, liberi & liberè, perinde ludit, ſicut in prioribus duobus uocabulis. Interdum utitur illis de immunitate à re aliqua, ut in titulo Libri, & in dicto ex Galatis citato. Interdum de promptitudine, ut cùm dicit de ſpiritu libertatis.

Ex his ſignificationibus prior eſt propria & latina, Poſterior eſt paulò remotior & minus latina, propriè uidelicet loquendo.

Talis

Talis autem ambiguitas non decet in dogmaticis, & præsertim in talibus disputationum generibus, propter confusiones & inuolucra, quæ non possunt non lectorem impedire.

VII.

De Lege loquitur Antinomicè & Enthusiasticè: Et sunt eius in hac re tales propositiones;

Lex tantùm est data ad terrendum. E. 2.

Lex nihil habet officij in exigendo aliquid ab homine. E. 2.

Lex tantùm ad tempus ualet. D. 2.

Hæc usitatè pro Antinomicis & Enthusiasticis, præsertim in isto sensu, & à suspectis hominibus usurpata, haberi solent. Ac pugnant ista cum sacra Scriptura, cum disputationibus Lutheri, cum Locis communibus, & alijs scriptis Melanthonis, cum cõmuni omnium Orthodoxorum doctrina.

VIII.

De fide sine distinctione dicit, Fides non est fides, nisi sit sola & sine omnibus etiam minimis operibus. C. 8.

Id sæpe reprehensum est à Melanthone & alijs quibusdam propter obscuritatem et ambiguita-

biguitatem. Quid quod etiam Scripturæ sacræ coniungenti fidem & caritatem, fidem & bonam conscientiam suo modo non admodum consentaneum est, in illa præsertim locutionis forma.

IX.

De *lapsibus renatorum dicit*: Renati si peccant, non peccant consultò, sed per ignorantiam. C. 8.

Id pugnat cum exemplis Petri, Davidis, Filij perditi, Serui debitoris &c.

X.

Necessitatem consequentiæ dicit nullam esse necessitatem, nec posse eam aut debere ita uocari, nisi improprijssimè. H. 5.

Sic nemo unquàm est locutus, nec potest ab ullo unquàm artifice, cui credendum est in sua facultate, concedi.

II. CAPVT.

DE ERRORIBVS IN SECVNDA PARTE.

I.

REijcit & condemnat has locutiones: Noua obedientia seu bona opera sunt necessaria tanquàm res à Deo mandata, tanquàm res debitæ Deo

ad Deo ratione ingentium beneficiorum, sicut effectus fidei & salutis, tanquam res, quæ debet sequi &c. L. 4.

II.

Reijcit & condemnat has locutiones: Noua obedientia est necessaria ad gloriam Dei, ad utilitatem proximi, ad declarationem fidei & salutis, ad certam faciendam uocationem, ad exercitia dilectionis, ad distinctionem renatorum & non renatorum, ad id, ut fides & Spiritus sanctus non excutiantur, ad id, ut conscientia non vulneretur, ad consecutionem præmiorum, ad uitationem pœnarum, ad conseruationem publicæ tranquillitatis. L. 4.

III.

Reijcit & condemnat hanc locutionem: Noua obedientia seu bona opera sunt necessaria, sicut pars pœnitentiæ. L. 4.

IIII.

Reijcit & condemnat hanc locutionem: Noua obedientia seu bona opera sunt necessaria ad declarandam fidem & salutem. M. 2.

V.

In doctrina de partibus pœnitentiæ excludit nouam obedientiam, contra sententiam

sacræ Scripturæ, Augustanæ Confessionis, Lutheri, Melanthonis & multorum Orthodoxorum.

VI.

De Confessione Augustana dicit, quòd autores eius habuerint tantùm rationem temporum, aut certè de futuris inconuenientibus & secuturis absurditatibus non cogitarunt. L. 3.

Hoc perinde est, ac si dicas: Augustana Confessio non est satis considerate, sed ut tempora ferebant, scripta.

Sed ô miseram confessionem nostram, si hoc de ipsa uerè asseri debet. Ea ratione quid est aliud, quàm Confessio inconsiderata & ad tempus tantùm accõmodata? Hoc modo uerè desinet authentica esse. Hoc modo præclarissima est aduersarijs nostris nos ipsos cum Confessione nostra cõdemnandi occasio data. Hoc modo nec ipsi nos de religione nostra certi possumus esse: Nec posteritati certi aliquid relinquemus: Hoc modo insignia Lutheri & aliorum de Augustana Confessione testimonia indignissimè deridentur. Ego uerò econtra existimo ipsum Spiritum sanctum & consultationi & scriptioni adfuisse, ac id quidem res ipsa loquitur, cùm accesserint multiplices & peculiares Dei benedictiones. Tales igitur

&

& tàm horrendæ uoces, si non puniuntur à Magistratu, certè ab ipso Deo gladio, peste, fame & alijs malis punientur, cùm certum sit, quòd uindicem habeat oculum.

VII.

Dictum Apostolicum: Oportet obedire Deo magis quàm hominibus, tantùm ad eos refert, qui sunt sub lege, & non ad eos, qui sunt sub gratia. I. 6.

VIII.

Magistratui dicit obediendum esse propter conscientiam, non propriam, sed aliorum. I. 7.

IX.

Præceptum de uitatione fornicationis Act. 15. numerat inter onera ad tempus necessaria. K. 5.

SECVNDVS LIBER.

IVDICIVM DE ARGVMENTIS IN PRIMA Antinomici istius Scripti parte.

I. ARGVMENTVM.

Gala. 5. State in libertate, qua Christus nos liberauit, & ne rursus iugo seruitutis implicemini. A. 1. Ergo in bonis operibus non ualet necessitas, sed libertas.

RESPONSIO.

In isto Argumento committitur fallacia phrasis & fallacia secundum non causam ut causam.

Primùm Textus Pauli principaliter loquitur de liberatione uel immunitate à Iudaismo uel Iudaica Politia. Hoc apparet primùm ex occasione istius Epistolæ: Deinde etiam ex serie textus Paulini, ex præcedentibus uidelicet & sequentibus. Ista Epistola scripta est contra eos, qui conabantur Galatis persuadere, quòd oporteret Christianos circumcidi, & totam Mosaicam Politiam acceptare: Hos confutat Paulus, & in illa confutatione hoc ipsum inseritur dictum. Ergò propriè & principaliter loquendo oportet illud intelligi de casu, ad quem respicit Paulus, De materia, in qua usurpatur à Paulo. Interdum refertur etiam ad totam Christianæ libertatis descriptionem: Sed hoc ualet ratione accommo-

accommodationis, quæ licita est, Sed salvo iure sententiæ principalis.

Secundò, committitur etiam fallacia causæ: quia antecedens loquitur de materia libertatis Christianæ, consequens de bonorum operum libertate. Sed inter illa duo longè maximum est discrimen. Libertas Christiana consistit in immunitate ab oneribus spiritualibus, nempe in immunitate à culpa & pœna æterna, in immunitate à lege Mosaica seruata iusta distinctione, in immunitate à traditionibus humanis in Ecclesiasticis ritibus, quoad necessariam earum obligationem & obseruationem. Econtrà libertas bonorum operum consistit in immunitate ab obedientia noua, & à rebus, quas Deus ordinauit, mandauit, & ab omnibus credentibus requirit. Priori generi libertatis tribuitur nomen libertatis Christianæ: Et ea est uera libertas, quia consistit in immunitate ab oneribus. Posteriori generi licentiæ potest tribui nomen, Libertatis certè non potest, propriè & rectè loquendo. Respicit enim ad obedientiam nouam, ad opera bona, ad dilectionem Dei & proximi. Sed hæc non sunt onera: Imò sunt actiones credentibus suaues & gratæ. Multò uerò minus inter gradus Christianæ libertatis recenseri potest,

cum

enim bona opera sint non onera spiritualia, sed materiæ exercitiorum fidei suauissimæ & gratissimæ.

Hæc explicatio de libertate consentit cum ipsa sacra Scriptura, & cum usitata Orthodoxorum doctrina, sicut copiosè, si opus est, probari potest. Deinde consentit etiam cum uerbis & contextu dicti. Verba uerò sunt: Standum esse in libertate, qua Christus nos liberauit: Item, non redeundum esse ad iugum seruitutis. In his Paulus principaliter quidem loquitur de seruitute Mosaicæ Politiæ, & de libertate ab ipsa: Sed ratione accommodationis potest idem ad reliquos etiam libertatis gradus, nempe ad immunitatem à culpa & pœna æterna, ad immunitatem à traditionibus humanis in Ecclesiasticis ritibus, quoad necessariam earum obseruationem, referri. In his enim rebus est iugum seruitutis, ad quod non est redeundum: In ijsdem est nobis parta à Christo libertas. Econtrà uerò in operibus bonis non est credentibus nec iugum seruitutis, ad quod non est redeundum, nec libertas à Christo comparata. Ità enim non liberauit nos filius Dei, imò uerò ad opera bona faciendà uindicauit nos, sicut scriptum est: Conditi sumus ad opera bona: Liberati à peccato

ſerui facti eſtis iuſticiæ. Soluti ſumus à lege mortis, ut ſeruiamus in nouitate ſpiritus: Conſepulti ſumus unà cum Chriſto per Baptiſmum in mortem, ut quemadmodum Chriſtus à mortuis ſurrexit, ità & nos in nouitate uitæ ambulemus.

Ex his omnibus conſpicuum eſt, quàm indignè Pauli dictum citetur. Tales citationes nihil aliud ſunt, quàm abuſus ſacræ Scripturæ & horrendæ prophanationes, indignæ bonis Chriſtianis, et multò magis indignæ Doctore, Profeſſore, Paſtore.

II.

Fanaticum eſt confundere Legem & Euangelium, fidem & opera. B. 2.

Doctrina de bonorum operum neceſsitate ad ſalutem confundit illa. B. 3. & 5.

Ergò doctrina de bonorum operum neceſsitate ad ſalutem eſt fanatica.

RESPONSIO.

Eſt ſallacia ignorationis Elenchi. Inter me & aduerſarium illum meum, quantum ex mutuis

mutuis ſcriptis animaduerti poteſt, nec eſt, nec fuit unquàm diſputatio de neceßitate ad ſalutem. Sed ſtatus cõtrouerſiæ conſiſtit in his propoſitionibus: Noua obedientia ſeu bona opera ſunt neceſſaria: Noua obedientia ſeu bona opera ſunt libera. Ego dico eſſe neceſſaria ſine appendice ad ſalutem: Et dico eſſe neceſſaria poſt ſalutem tanquàm effectus fidei. Item, eſſe neceſſaria ad gloriam Dei, ad utilitatem proximi, ad declarationem fidei & ſalutis, cum alijs quibuſdam, de quibus in Confeßione mea latina. Deinde dico etiam diſcrimen eſſe inter has locutiones: Bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutem, & bona opera ſunt neceſſaria ſine appendice ad ſalutem, iuxta Lutheri dictum: Multa ſunt neceſſaria, quæ non ſunt neceſſaria ad ſalutem. Aduerſarius uerò meus econtrà dicit: Non eſſe neceſſaria, ſed libera. Item, Idem eſſe, Bona opera ſunt neceſſaria, & Bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutem. Meam ſententiam aſſero eſſe piam & orthodoxam. Aduerſarij uerò dogma eſſe impium, blaſphemum, pernicioſum, & coniunctum cum doctrina Antinomorum, & cum doctrina ueterum hæreticorum, quales fuerunt Pſeudoapoſtoli, Simon Magus, Menander, Baſilides, Carpocrates.

Eatenus

Eatenus igitur non ualet hoc Argumentum quoad præsentem disputationem. Nec rectè faciunt Antinomi, Libertini, Enthusiastæ & ueri Adiaphoristæ, confundentes causas diuersas, & facientes miseris hominibus fucum.

III.

Propositio de bonorum operum necessitate ad salutem est à uerbo Dei alienissima, & à Luthero plus millies detestata, & à plerisq; Ecclesijs damnata, & conijcit parum cautos in carnificinam & tenebras priores. B. 5.

Ergò propositio illa non est ferenda.

RESPON.

Hoc Argumentum est simile superiori, quoad scopum. Idcoq; eodem etiam modo & debet & potest confutari.

IIII.

Defendentes propositionem, Noua obedientia seu bona opera sunt necessaria sine appendice ad salutem, hærent in eodem luto ac culpa cum prioribus, defendentibus ne-

necessitatem ad salutem, & pallíant hanc diuersis coloribus. B. 5. Ergò etiam illa non est ferenda.

RESPON.

Antecedens prorsus est falsum, quia ingens est discrimen inter has locutiones: Bona opera sunt necessaria ad salutem: *&,* Bona opera sunt necessaria, seruata iusta interpretatione, *quam repetiui in Confessionibus meis. Id uerum esse multis potest probari modis: Et apparet imprimis ex locutionibus* Orthodoxorum. Lutherus *&* Melanthon *&* omnes Orthodoxi retinent *&* inculcant has locutiones, Noua obedientia est necessaria, Bona opera sunt necessaria, Noua obedientia seu bona opera sunt debitum, debentur Deo *&* proximo, Sunt necessariò præstanda, debent præstari. Econtrà uerò has reijciunt suo modo: Noua obedientia, seu bona opera sunt necessaria ad salutem. Ergò oportet inter illas discrimen esse. Alioqui enim sibi ipsis contradicerent. In hac materia memorabile est Lutheri dictum: Multa sunt necessaria, quæ tamen non sunt necessaria ad salutem. De hoc discrimine copiosius agitur in testimonijs meis Germanicis *&* Latinis.

Ergo

Ergò non rectè facit Architectus iste, confundens diuersas propositiones in unum chaos, contra Lutherum, Melanthonem & omnes Orthodoxos, & quidem etiam contra sententiam & doctrinam uerbi diuini & Augustanæ Confessionis.

V.

Doctrina de iusticia fidei cœpit statim post lapsum, & ab eo tempore semper fuit in Ecclesia, & ea est necessaria. B. 5. usq; ad C 2.

Doctrina de necessitate bonorum operum obscurat illam de iusticia fidei doctrinam. Ibidem.

Ergo non est ferenda.

RESPON.

In hoc Argumento est duplex fallacia, nempe fallacia secundum quid in Maiore, & fallacia Amphiboliæ in Minore. Primùm quod de doctrina Iusticiæ fidei dicitur, idem ualet etiam de doctrina Iusticiæ bonæ conscientiæ. Vtraq; cœpit statim post lapsum: Vtraq; semper fuit in Ecclesia: Vtraq; est necessaria. Id inde apparet, quia post editam primam promissionem semper unà fuerunt in Ecclesia Lex & Euangelium:

Et illa simul sunt necessaria, cùm utrunq; sit uerbum Dei. Item doctrina de pœnitentia semper fuit in Ecclesia & est necessaria. Semper etiam sic actum est à pijs in Ecclesia, ut & Iusticiam fidei sectati sint, et iusticiæ bonæ conscientiæ studuerint. Ergò non satis dicitur in Maiori propositione, sed oportet etiam alterum addi.

Secundò, quod de necessitate bonorum operum dicitur in Minore, in eo est ambiguitas quædam propter abusum Libertinorum, in ista forma locutionis.

Si respicit Autor ad doctrinam de necessitate bonorum operum sine appendice ad salutem, iam non est illa propositio uera, quia illa duo genera semper in Ecclesia simul fuerunt: Et simul sunt pœnitentiæ partes mutuò sibi connunctæ, fides uidelicet & obedientia noua: & cohærent, sicut fides & fructus fidei, sicut Sol & lux, ignis & fumus, corpus & umbra, arbor & fructus, causa & effectus: Et simul requiruntur Iusticia fidei & iusticia bonæ conscientiæ: Et Paulus ipse coniungit illa, cùm inquit: Milita bonam militiam retinens fidem & bonam conscientiam. Certum autem est quòd pœnitentiæ partes se mutuò non obscurent, & quòd fides à fructibus, Sol à luce, ignis à fumo, corpus

ab

ab umbra, arbor à fructibus, causa ab effectu non obscuretur & deprauetur.

Si uerò respicit ad doctrinam de necessitate ad salutem, illud nihil facit ad hanc disputationem.

VI.

Constituere sibi propriam Iusticiam est Cainicum, Pseudoapostolicum, Antichristianum &c. B. 6. usq; ad C. 3.

Doctrina de bonorum operum necessitate constituit propriam iusticiam.

Ergò doctrina illa est Cainica, Pseudoapostolica & Antichristiana.

RESPONSIO.

Minor Propositio in ista forma locutionis prorsus est falsa, quia ingens discrimen est inter mandare bona opera, & tribuere eis iusticiam, inter requirere obedientiam nouam, & constituere propriam Iusticiam. Deus mandat & requirit opera bona, sed tamen non tribuit eis Iusticiam iustificantem. Paulus facit opera bona, & tamen non constituit in illis sibi propri-

am iustitiam: Imò *uerò de se ipso dicit*, Nihil *mihi conscius sum, sed in hoc iustificatus non sum.* Ità & Christus *ait*: Omnia *cùm feceritis, dicite, serui inutiles sumus.*

VII.

Dogma de necessitate bonorum operum est pernicioſum, & minatur nobis turbidam tempestatem, &c.

Ergò non est ferendum.

RESPON.

Antecedens est manifestißimè falsum in ista forma locutionis propter multas causas. Primùm, *doctrina illa nititur autoritate uerbi diuini*: Secundò, *semper fuit in communißimo Ecclesiæ usu*: Tertiò, *repetitur in Confessione Augustana, in scriptis Lutheri, Melanthonis & omnium Orthodoxorum ueterum & recentiorum*: Quartò, *prodest ad grauißimas in gubernandis actionibus uitæ commonefactiones.*

Econtra *uerò omißio & impugnatio illius doctrinæ, ea est perniciosa, & minatur tristißimas confusiones, quia est contra uerbum* Dei, *contra usitatam Ecclesiæ doctrinam, contra Confessionem Augustanam, contra scripta Lutheri,*

theri, Melanthonis, et omnium Orthodoxorum, & tandem etiam contra bonos mores.

VIII.

Dogma de necessitate operum est aliquoties repudiatum & explosum, C 4.

Ergò non est ferendum.

RESPON.

In Antecedente nihil est ueri: Nec potest ex ullis historijs probari. Sed contrarium eius, nempe quod nunquàm sit ab Orthodoxis explosum, ex integris Ecclesiæ descriptionibus apparet.

IX.

Per dogma de necessitate bonorum operum abnegatur Dominus, qui nos mercatus est. C 4.

Ergò non est ferendum.

RESPONSIO.

Antecedens est manifestißimè falsum. Id inde patet: Quia Christus ipse requirit opera bona. Eadem etiam placent ipsi. Deinde & præmia illis promittit, quæ quidem etiam tribuit illis suo loco, tempore & modo. Inde sunt illa

dicta: Tollite iugum meum *ſuper uos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus ueſtris*: Qui *me confitetur coram hominibus, eum confitebor coram patre meo*: Luceat *lux ueſtra coram hominibus, ut uideant opera ueſtra bona, & glorificent patrem ueſtrum, qui in cœlis eſt*: Si *ſpiritu actiones carnis mortificaueritis, uiuetis*: Beneplacitum *eſt* Domino *ſuper timentes eum.*

Econtrà *uerò per omiſſionem & oppugnationem iſtius doctrinæ abnegatur Chriſtus*: *ſicut ſcriptum eſt*: Repellentes *bonam conſcientiam circa fidem naufragium fecerunt. Ita etiam per omiſſionem bonorum operum abnegatur Chriſtus, & excutitur Spiritus ſanctus, ſicut ſcriptum eſt*: Qui *non diligit, manet in morte*: Talia *qui faciunt, regnum* Dei *non poſſidebunt.*

X.

Ex illo dogmate de neceſsitate bonorum operum ſunt expectanda magna pericula & mala, Et eſt illud excitaturum magnam, turbulentam, ſubitam ac improuiſam tempeſtatem. C 5.

Ergò non eſt ferendum.

Reſpon-

RESPON.

Hoc Argumentum consentit cum septimo argumento. Ideoq; superior solutio hìc quoq; locum habet.

XI.

Dogma de bonorum operum necessitate bellum intulit Ecclesiæ uiuente Luthero, Sed est ab eo prostratum. C 6.

Ergò non est ferendum.

RESPON.

Antecedens est euidentißimè falsum, quia propositio illa de bonorum operum necessitate rectè intellecta nunquàm intulit bellum Ecclesijs: Nec est à Luthero prostrata. Imò uerò semper est in Ecclesia usurpata: Et quidem ab ipso Luthero est usurpata. Deinde extat eadem in alijs etiam scriptoribus Orthodoxis.

XII.

Idem dogma est etiam post Lutherum repressum & profligatum C 6.

Ergò non est ferendum.

RESP.

Antecedens est eodem modo futile, nouum & falsum, in ista uidelicet locutionis & sententiæ forma. Nam de his propositionibus, Noua obedientia est necessaria, Bona opera sunt necessaria, soli Antinomi & Libertini disputarunt: Reliqui uerò non disputarunt de illa.

XIII.

Defendentes doctrinam de necessitate bonorum operum, causam illam multis maledictis & conuiciis agunt. C 6.

Ergò dogma illud non est ferendum.

RESPON.

Primum est fallacia falsæ propositionis in antecedente, quia aliud est maledicere uel conuiciari, aliud est suum cuilibet tribuere nomen, quod solet usitata tribui ratione, & quod alioqui rectissimè competere uidetur.

Deinde etiam est fallacia secundum non causam ut causam: Et ratio est, quia abusus non tollit substantiam rei: Et uicia personalia non præiudicant rei. Si causa per se bona est, ea propter abusum non fit deterior, in principali uidelicet statu. Verbum Dei est per se bonum, & manet bonum etiamsi hæretici eo abutantur.

Idem

Idem ualet in Iure, in Medicina, in Philosophia, in gubernatione politica, in Oeconomica administratione, in omnibus honestis actionibus & rebus.

XIIII.

Dogma illud est impium & impudentissimum. C 7.

Ergò non est ferendum.

RESPON.

Antecedens est euidentissimè falsum, & potest de eo ex præcedentibus iudicari.

XV.

Salus nostra non incipit ab ullo opere nostro. C 7.

Ergò bona opera non sunt necessaria.

RESPON.

Distinguendum est inter opera præcedentia & sequentia salutem. Antecedens loquitur de operibus præcedentibus: Consequens de sequentibus. Eatenus igitur non ualet consequentia: quia aliud est loqui de præcedentibus, aliud de sequentibus. Et ualet hîc Regula: A non distributo ad distributum nõ ualet consequentia. A diuersis ad diuersa non ualet consequentia. Ac possunt hîc multæ instantiæ dari. Hominis uita non incipit à cibo. Ergò cibus non est ne-

cessarius. Dies non incipit à clara luce. Ergò clara lux non est necessaria.

XVI.

Homo iustificatur iusticia merè passiua. C 7.

Ergò bona opera non sunt necessaria.

RESPON.

Primùm est fallacia causæ. Antecedens loquitur de casu iustificationis: Consequens loquitur de rebus post iustificationem necessarijs. Eatenus procedit à non distributo ad distributum.

Secundò, In Antecedente est ἀκυρολογία quædam in eo, quod dicitur de iusticia merè passiua. De hac forma locutionis dixi aliquantò copiosius in Confessione mea de iustificatione capite 42.

XVII.

Fides non potest esse uera, nisi sit sola, & sine minimis etiam operibus. C 8.

Ergò bona opera non sunt necessaria.

RESPON.

Primùm in Antecedente est ἀκυρολογία uel impropriras quædam. Ac est ista propositio

positio coniuncta cum absurditate non contemnenda: quia constituitur arbor sine fructu, Sol sine luce, & constituitur etiam hypocritica fides: Et habet aliquid Enthusiasmi. Ideoq; sæpe est à D. Philippo reprehensa, & præcipuè in confutatione Bauaricorum articulorum. Interdum reperitur quidem in Luthero, sed alia ratione. Ideoq; ab alijs in dogmaticis & simplici forma locutionis in imitationem trahi non solet. Quin etiam sibi ipsi non constat autor, quia paulò post (D. 6.) manifestè scribit, quòd fides, licet iustificet sine operibus, non tamen sit sine operibus.

Secundò, Si uel maximè concederetur propositio illa, Tamen consequentia non ualeret. Nam antecedens loqueretur de casu iustificationis, consequens uerò de rebus post iustificationem necessarijs. Ac habet in illis cognationem cum præcedente argumento.

XVIII.

Homini Christiano nullo est opere opus ad salutem. D. 1.
Ergò bona opera non sunt necessaria.

RESPON.

Hîc nulla est cohærentia: quia procedit à non distributo ad distributum. Antecedens loquitur

quitur de operibus præcedentibus, consequens de sequentibus. Inter ista uerò longißimum est discrimen.

Deinde ideò etiam non ualet consequentia, quia antecedens loquitur de casu iustificationis, consequens de casu obedientiæ post iustificationem necessariæ. Isti articuli differunt inter sese: Ideoq; confundi nec debent nec possunt. Et malitiosum est confundere res sua natura distinctas.

XIX.

Homo Christianus liber est ab omni lege per fidem. D. 1.

Ergò bona opera non sunt necessaria.

RESPON.

Primùm est fallacia secundum quid in antecedente: Et distinguendum est inter condemnationem & pædagogiam. Antecedens concedi potest de condemnatione. Christiani ratione fidei sunt liberi à lege, quoad condemnationem legis: Econtrà quoad pædagogiam uel commonefactionem de actionibus uitæ Christianæ rectè instituendis non sunt liberi à lege. De priori parte ualent hæc dicta: Iusto non est lex posita. Nulla condemnatio his, qui sunt in Christo Iesu:

Non estis sub lege, sed sub gratia. De posteriori parte loquuntur hæc dicta: Non ueni legem soluere: Legem stabilimus per fidem: Lex dominatur in homine, quanto tempore uiuit homo: Mente seruio Legi Dei. Et pertinet huc Regula: Lex moralis est æterna & immota Dei uoluntas, est uniuersalis Dei Regula & norma. Ideoq; ab ipso etiam Christo repetitur & inculcatur discipulis ipsius uersantibus in statu iustificationis. Hæc explicatio est sumpta ex doctrina de duplici Legis usu, de quibus Lutherus dicit:

Die Gebot all vns gegeben sind/
Das du dein Sünd o Menschen kind
Erkennen solt vnd lernen wol/
Wie man für Gott leben sol.

Secundò est etiam uicium in consequentia: Quia aliud est esse liberum à Lege condemnante, & aliud est esse liberum à bonis operibus. Libertas à condemnatione non adfert libertatem ab obedientia noua. Ità procedit à non distributo ad distributum, in quo est fallacia secundum non causam ut causam.

XX.

Homo Christianus ex mera libertate omnia gratuitò facit, quæcunq; facit. D. I. Ergò

Ergò bona opera non ſunt neceſſaria.

RESPON.

Primùm omnium eſt ἀκυρολογία in antecedente, in eo, quod dicitur, ex mera libertate. Sic non loquitur Scriptura: Nec eſt illud latinum propriè loquendo: quia facere ex libertate perinde eſt, ac ſi dicas facere ex immunitate. Alioqui uſitatum eſt dicere, ſponte facere, uel facere ſpiritu ſpontaneo, ſicut in Pſalmo dicitur, Populus tuus ſpontaneus. Aliud autem eſt ſponte facere, aliud ex libertate facere, latinè uidelicet & propriè loquendo. Conſtat autem in diſputationibus & dogmaticis ſemper ſtudendum eſſe proprietati & ſimplicitati, propter uitationem confuſionum & ambiguitatum. Secundò, ſi maximè ualeret illa locutio in iſta ſententia, tamen connexio uel conſequentia non eſſet bona. Quia aliud eſt ſpontè facere, & aliud eſt non eſſe neceſſarium. Id apparet ex hac regula, Spontanea ipſa ſunt neceſſaria: Ipſum ſpontè facere eſt debitum, & cadit in obligationem: Ipſum ſpontè facere debetur Deo. Ità Chriſtiani faciunt opera bona ſpontè, & hoc ipſum ſpontaneum eſt neceſſarium: Chriſtiani ſunt hilares datores, & hoc ipſum hilariter dare eſt debitum neceſſarium.

XXI. Iuſtus

Iustus non habet opus lege cogente & urgente. D. 1.

Ergò bona opera non sunt necessaria.

RESPON.

Primùm in antecedente est opus aliqua restrictione, sicut uocatur. Iustus in quantum iustus, non habet opus ut urgeatur. Sed ratione ueteris Adami est tamen opus cùm admonitionibus, tùm urgendo & instando, quia scriptum est: Iustus in die septies cadit. Et catenus rectè dicitur, Expurgate uetus fermentum: Item compelle intrare. Ita committitur in argumento fallacia secundum quid, quod non decet in rebus grauibus & serijs.

Secundò, quòd si nihil esset in Antecedente uicij, tamen consequentia non ualeret. Aliud enim est loqui de coactione, aliud loqui de bonorum operum necessitate. Coactio significat uiolentum quiddam: Necessitas bonorum operum significat debitum quoddam, significat rem, quæ debetur Deo ratione ordinationis & mandati diuini. Ita bona opera sunt & dicuntur necessaria non ratione coactionis, sed ratione ordinationis diuinæ. De hoc usu uel significatione uocabuli in isto genere creberrimæ sunt in scriptis Melanthonis explicationes, Ideoq; mirum est

tantam

tantam cæcitatem & pertinatiam in ijs, qui Theologi uideri, & ſub alis Auguſtanæ Confeſſionis latitare uolunt, manere.

XXII.

Iuſtus ſine ulla Legis coactione facit, quæ Lex exigit. D. 1.

Ergò bona opera non ſunt neceſſaria.

RESPON.

Primùm aliud eſt coactio Legis, & aliud eſt neceſſitas bonorum operum. Credentes operantur per dilectionem ſine coactione, ſed tamen ex debito uel neceſſitate: quia debent hoc facere, & ſunt ad illud obligati. Bona opera fiunt ſine uiolenta coactione, ſed tamen ex debito. Bona opera ſunt neceſſaria, & ſunt neceſſaria non ratione coactionis, uerum ratione ordinationis & mandati diuini.

Secundò, actio ſpontanea non repugnat neceſſitati bonorum operum: quia illud ipſum ſpontaneum eſt neceſſarium. Credentes ſpontè operantur benè, & ſunt etiam ad illud diuinitus obligati.

XXIII.

Iuſto non eſt lex poſita. D 1. & E 1.

Ergò bona opera non ſunt neceſſaria.

Re-

RESPON.

Primùm in antecedente est fallacia secundum quid: & distinguendum est inter condemnationem & pædagogiam uel commonefactionem. Antecedens loquitur de condemnatione, non de cõmonefactione. Ita iusto non est lex posita, quoad condemnationem, sed tamen est posita ei, quo ad pædagogiam uel commonefactionem. Hæc est communis piorum & eruditorum interpretatio.

Secundò, uicium etiam est in consequentia: Quia procedit à non distributo ad distributum. Aliud est loqui de casu condemnationis, & aliud loqui de necessitate bonorum operum, quæ debent præstari ab illis, qui sunt à condemnatione legis liberati.

Idem autem argumentum seruata iusta accommodatione potest etiam inuerti, hoc modo: Iusto est posita lex ad commonefactionem. Ergò est aliqua bonorum operum necessitas.

XXIIII.

Iustus sponte facit, quod lex exigit. D. 1. E. 1.

Ergò bona opera non sunt necessaria.

RESPON.

Primùm antecedens est tantùm uerum secundum quid: Et ualet de iustis in quantum sunt iusti. Sed ratione ueteris Adami non semper faciunt sponte, quæ erant facienda. Ideoq; scriptum est: Iustus in die septies cadit. Video aliam legem in membris meis.

Secundò, si antecedens nihil haberet uicij, tamen consequentia non ualeret. Spontanea enim actio non repugnat bonorum operum necessitati. Imò illud ipsum spontaneum est necessarium cadens in debitum & obligationem, ità ut simus debitores. Eatenus argumentum illud rectissimè potest inuerti.

XXV.

Iustificati quatenus manent in Christo, longè sunt extra & supra omnem legem. D. 2.

Ergò bona opera non sunt necessaria.

RESPON.

Primùm est ἀκυρολογία in antecedente. De talibus ualet dictum, Quando quis propriè potest loqui, non debet improprietati studere. Alioqui enim dictum istud perinde sonat, ac si dicas, iustificati in hac uita sunt supra uerbum Dei,

Dei, & eatenus supra ipsum etiam Deum. Interdum reperiuntur tales locutiones in Luthero: Sed alia est autoritas & sententia Lutheri, alia Antinomorum & aliorum, qui inclinant ad Enthusiasmos.

Secundò, uicium etiam est in forma uel consequentia: quia aliud est esse supra legem, & aliud est esse immunem ab operibus bonis. Si uel maximè esset supra legem, tamen maneret obligatio de noua erga Deum obedientia. Quia uniuersales Regulæ sunt, Oportet obedire Deo. Debitores sumus, Debetis alterutrum diligere, Mandatum nouum do uobis, ut diligatis uos inuicem.

XXVI.

Iustificandis est imponenda lex. D 2. Ergò ad iustificatos non recte dicitur, Bona opera sunt necessaria.

RESPON.

Primùm non tantùm iustificandis est imponenda Lex: Sed manet etiam lex post iustificationem, Scriptum enim est, Non ueni soluere legem: Legem stabilimus per fidem: Lex in homine dominatur, quanto tempore uiuit. Huc pertinent & illæ Regulæ: Lex est æterna & immota

immota Dei uoluntas: Lex est regula Dei uniuersalis. Ideò uerò manet etiam Lex post iustificationem, quia iustificati habent opus certa quadam uitæ Regula: labuntur etiam interdum, in qua re opus est peccati demonstratione & accusatione.

Secundò, aliud est loqui de iustificandis, aliud de officio iustificatorum. Iustificandi sunt terrendi lege: Sed iustificati sunt admonendi de officijs post iustificationem, & ea officia sunt necessariò præstanda.

XXVII.

Euangelium non docet, quid facere debeam. D. 2.
Ergò bona opera non sunt necessaria.

RESPON.

Antecedens non est simpliciter uerum. Id apparet ex his dictis, Agite pœnitentiam, Hunc audite, Venite ad me omnes, Credite Euangelio, Facite fructus pœnitentia dignos. Hæc sunt Euangelica dicta, & docetur in illis, quid facere debeamus. In hanc sententiam extant etiam apud Lutherum permulta dicta: ut cùm dicit, Euangelium iubet in Christum credere, & Christi operibus & iusticia niti.

Lex

XXVIII.

Lex non debet occupare conſcientiam & in ea dominari. D. 2.
Ergò bona opera non ſunt neceſſaria.

RESPON.

Primùm eſt fallacia ſecundum quid in antecedente. Et diſtinguendum eſt inter caſum condemnationis, iuſtificationis & obedientiæ nouæ. Antecedens concedi poteſt de caſu condemnationis & iuſtificationis: quia in illis non debet Lex in conſcientia dominari. Econtrà uerò quoad caſum nouæ obedientiæ, non poteſt ita nudè concedi, quia in caſu nouæ obedientiæ debetur aliquis locus legi in conſcientia. Huc pertinent illa dicta: Non ueni ſoluere legem: Lex dominatur in homine, quanto tempore uiuit: Neceſſe eſt obedire propter conſcientiam.

Secundò, uicium etiam eſt in conſequentia. Nam noua obedientia & bona opera ſunt neceſſaria. non tàm ratione legis, quàm ratione Euangelij. Lex requirit perfectam obedientiam: Euangelium requirit pœnitentiam, cùm perfectam illam obedientiam præſtare non poßimus. Noua autem obedientia eſt pars pœnitentiæ, ſicut alibi copioſius dici ſolet: Et differt à perfecta obedientia, ſicut inchoatio à perfectione.

Ideoq; rectè dicitur, Mandatum de noua obedientia pertinet ad Euangelium, ſed norma uel actiones ipſæ demonſtrantur in lege.

XXIX.

In conſcientia nulla debet lex regnare. D. 2.

Ergò bona opera non ſunt neceſſaria.

RESPON.

Hoc argumentum eſt ſimile præcedenti: Et ob id confutatur una & eadem ratione.

XXX.

Phraſis illa de neceſsitate bonorum operum eſt ipſiſsimum Satanæ inuentum. D. 3.

Ergò non eſt ferendum.

RESPONSIO.

Antecedens eſt manifeſtiſsimè falſum: Et continet horrendam criminationem uerbi diuini, Confeſsionis Auguſtanæ, Formulæ Francofordianæ, ordinationis Brandeburgicæ, Lutheri, Melanthonis, & omnium Orthodoxorum. De his omnibus quid ſentiat Declamator ille, ex iſta crudeli et Satanica criminatione animaduerti poteſt. Hæc tanta licentia ſi nõ retundatur, euadet profectò in magnum totius Eccleſiæ malum.

Iuſti-

XXXI.

Iustitiam operum secundum Lutherum necessariò comitatur fiducia, & omnis iustitia adfert secum fiduciam. D. 4.

Ergò defendentes necessitatem operum ad salutem non possunt prohibere fiduciam.

Et per consequens melius est abstinere ab eorum defensione.

RESPON.

Dictum illud Lutheri debet intelligi principaliter de non renatis. Alioqui de renatis contraria reperiuntur exempla. Id ex Pauli confessione apparet, Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum iustificatus. Si tamen fit illud interdum in renatis, id fit non per se, sed per accidens, hoc est, non ratione illius iustitiæ, sed ratione ueteris Adami. Eatenus igitur in antecedente duæ committuntur fallaciæ, secundum quid, & accidentis.

Secundo inter me & Antagonistam meum non est disputatio de necessitate ad salutem. Eatenus in argumento isto concurrit etiam fallacia ignorationis Elenchi.

XXXII.

Lutherus nullibi est usus illa propositione: Bona opera sunt necessaria ad salutem. D. 4.

Ergò non est ferenda.

RESPON.

Inter me & aduersarium meum non est disputatio de necessitate ad salutem. Indignissimum igitur est confundere summam & scopum disputationis. Hoc quid aliud est quàm conari transferre statum, & illa translatione facere hominibus fucum?

XXXIII.

Si potest unus ex Luthero locus de necessitate ad salutem adduci, dicam me atrocem iniuriam feciſſe. D. 4.

Sed non potest adduci.

Ergò non facio iniuriam.

RESPON.

Hìc idem respondeo, quod in præcedenti argumento.

XXXIIII.

Papistæ ratione propositionis de necessitate ad salutem gloriantur nos

à Luthe-

à Luthero defeciſſe, & in gremium ſuæ Eccleſiæ redire. D. 4.

Ergò Propoſitio iſta de neceſsitate bonorum operum ad ſalutem non eſt ferenda.

RESPON.

Sæpe dictum eſt non diſputari de neceſsitate ad ſalutem: Et eſt hoc publicum & notorium. Talia igitur argumenta nihil faciunt ad hanc cauſam. Si tamen obijciuntur, non poteſt id fieri ſine magna impudentia & malitia.

XXXV.

Stante hac propoſitione de neceſsitate operum ad ſalutem impoſsibile eſt doctrinam iuſtificationis ex ſola fide ſaluam & integram manere. D. 5.

Ergo non eſt ferenda.

Reſpon. Hìc idem dici poteſt: Et dolendum eſt non haberi rationem ueritatis & hominum paulò rudiorum.

XXXVI.

Defendentes neceſsitatem ad ſalutem perpetrant duplicem impietatem: Primùm conturbant & euertunt

pias Ecclesias: Deinde confortant aduersarios. D. 5.

Ergò non faciunt rectè.

RESPON.

Dixi sæpius me nunquàm usum esse, nec uti propositione de necessitate bonorum operum ad salutem. Cùm igitur contra me scribas, debueres contra meas, non contra alienas propositiones disputare. Tales confusiones non decent uiros bonos, multò minus Theologiæ Doctorem, Professorem & Pastorem.

XXXVII.

Propositio de necessitate operum ad salutem est exitiosa Ecclesiæ & conscientijs piorum nociua. D. 5.

Ergò non est ferenda.

Respon. *Id eodem modo non pertinet ad hoc forum.*

XXXVIII.

Bona opera non faciunt iustum. Item, Salus non uenit ex merito operum. Item, Opera imponentia necessitatem salutis operantur uanam persuasionem, & extinguunt libertatem cum fide, & gratiam Dei

Dei blasphemant. D. 6.

Ergò Bona opera non sunt necessaria ad salutem.

Respon. *Hæc debebas tempore Interim dixisse. Nunc cùm refrixit res, prodis: Et moues ea, de quibus nemo nunc disputat amplius.*

XXXIX.

Stante illa necessitate operum necesse est fidem aboleri. D. [illegible].

Ergò non est ferenda.

RESPON.

Si respicis ad Propositionem de necessitate bonorum operum, dico non esse illum scopum huius disputationis. Si uerò simpliciter respicis ad alteram propositionem carentem appendice ad salutem, in eo nec possum nec uolo tibi concedere antecedens. Nam fides est necessitas nouæ obedientiæ, quæ debet sequi, non pugnant inter se, nec abrogant se mutuò: Imò sunt res inter se mutuò connexæ, sicut sol & lux, arbor & fructus, ignis & fumus, corpus & umbra. Ideoq; & Paulus ipse coniungit fidem & bonam conscientiam: Milita bonam militiam, seruans fidem & bonam conscientiam: Imò addit etiam, repellentes bonam conscientiam circa fidem naufragiũ fecerunt. Deinde & illud addit, quòd tales tradiderit Satanæ. 1. Tim. 1.

In

In isto igitur argumento committitur fallacia Amphiboliæ: Et prout explicatur, ità uel ualet uel non ualet.

XL.

Stante necessitate operum necesse est homines sub illa coactione necessitatis simpliciter perire. D. 6. Ergò non est ferenda.

RESPONSIO.

Hic iterum loquitur ambiguè & confusè. Si respicit ad propositionem de necessitate ad salutem, id nihil facit ad hoc institutum. Si ad alteram, duplex est in antecedente uitium. Primum, quòd dicit de coactione necessitatis, de qua non agitur in hac materia. Loquimur enim de necessitate debiti ratione mandati & ordinationis diuinæ. Ita & Lutherus inquit in disputatione cum Melanthone, Iusticia nostra est necessaria, sed non necessitate legali seu coactionis, Sed necessitate gratuitæ, seu consequentiæ, seu immutabilitatis.

Secundò necessitas illa bonorum operum, de qua nos loquimur, non est causa interitus, per se & propriè loquendo. Siquid per accidens fiat, ratione uidelicet uel abusus uel omissionis, Id non est nec Deo nec Ecclesiæ imputandum. De talibus

bus ualent hæc dicta: Repellentes bonam conſcientiam circa fidem naufragium fecerunt: Si ſecundum carnem uixeritis, moricmini, Si mortificaueritis, uiuetis: Si bene egeris, recipies, Si malè, peccatum tuum quieſcet, donec reueletur: Niſi abundauerit iuſticia ueſtra &c.

XLI.

Defendentes doctrinã de neceſsitate bonorum operũ ſecundum Paulum ſunt Doctores literæ. D7.

Ergò Propoſitio illa, Bona opera ſunt neceſſaria, non eſt ferenda.

RESPON.

De Paulo dicis. *Sed cur non addis locum?* Non *ſatis eſt dicere:* Probationibus *eſt opus. Si uerum eſt antecedens tuum, ſequetur Paulum ſibijpſi non conſtare.* Nam Paulus *adeò non reijcit bonorum operum neceſsitatem, ut multò magis conſtituat eam. Inde ſunt iſta dicta,* Debitores *ſumus,* Liberati *à peccato ſerui facti eſtis iuſticiæ:* Neceſſe *eſt obedire propter conſcientiam:* Neceſsitas *incumbit mihi:* Patientia *eſt neceſſaria:* Milita *bonam militiam.* Quomodo *igitur poteſt eos* Doctores literæ *uocare, cùm ipſe quoq; talia requirat?*

Defen-

XLII.

Defendentes necesſitatem bonorum operum confundunt doctrinam Legis & Euangelij, & commiſcent iuſticiam actiuam & paſsiuam, opera & fidem, credere & facere. D.7.

Ergò Propoſitio illa non eſt ferenda.

RESP.

Hoc argumentum eſt ſimile ſecundo, de quo eſt initio dictum. Idcoq; ſimilis etiam eſt in confutatione modus.

XLIII.

Docentes de neceſsitate bonorum operum ſunt ſimiles Monachis & Scholaſticis in Papatu, & ſimiles etiam Pſeudoapoſtolis. D.7.

Ergò doctrina illa non eſt ferenda.

RESPON.

Antecedens non eſt uerum. Pſeudoapoſtoli, Monachi & Scholaſtici ueteres defenderunt meritum bonorum operum, & docuerunt, bona opera neceſſaria eſſe ad promerendam ſalutem. Nos loquimur tantùm de neceſsitate bonorum operum, utq; minus ſit ambiguitatis & calumnia-

calumniarum, non addimus appendicem ad salutem. Constat autem inter illa duo manifestißimum esse discrimen, de quo supra.

Quod ad Pseudoapostolos attinet, isti duplices erant temporibus Apostolorum. Priores nimium tribuebant operibus legis, & coniungebant ea cum articulo iustificationis. Contra hos conuocata est Synodus Ieroſolymitana Act. 15. Contra eosdem disputat Paulus in prioribus partibus Epistolæ ad Romanos & ad Galatas. His similes aliquomodo sunt Papistæ & Interimistæ. Posteriores nimium adimebant, ità, ut prorsus tollerent omnem bonorum operum necessitatem, & constituerent in locum eius libertatem. Contra hos disputatur à Paulo Rom. 3. 6. & decimceps. Item in posteriori parte Epistolæ ad Galatas. Item, 1. Tim. 1. Item à Petro, Iohanne, Iacobo & Iuda. Horum uerò Pseudoapostolorum posteriorum uestigijs insistebant multi hæretici, Nicolaitæ, Simon Magus, Menander, Carpocrates, Basilides, De quibus scriptum est, quòd sublata necessitate bonorum operum constituerint libertatem. Inter hos uerò gradus medium tenuerunt & Apostoli & discipuli eorum, & omnes orthodoxi, cui rei argumento sunt singulorum scripta & disputationes.

Defenso-

XLIIII.

Defensores necessitatis operum sunt exactores operum D.7.

Ergò illa doctrina de bonorum operum necessitate non est ferenda.

RESPON.

Hîc *nulla est cohærentia. Quia exactio bonorum operum ordinata non est prohibita. Imò Deus ipse exigit opera bona, adeò ut nullus propemodum sit in sacra scriptura liber, in quo non sit uel præceptum, uel exemplum bonorum operum. Postea monent de operibus bonis omnes orthodoxi suo in loco. Si distingueres inter exactionem operum ordinatam & inordinatam, iam posset tibi aliquid in una parte, nempè in exactione inordinata concedi. Sed in illa confusione nec te ipsum intelligis, nec alij te intelligere sine peculiari interprete, qui tamen suspectis hominibus non est temere concedendus, possunt.*

XLV.

Doctores & defensores necessitatis operum sunt ueri conscientiarum tortores & carnifices. D.7.

Ergò doctrina illa non est ferenda.

Respon-

RESPON.

Antecedens in ista forma locutionis non est uerum, propter præcepta Christi & Apostolorum de bonis operibus, & propter multiplices omnium orthodoxorum de illis admonitiones. Si doctores istarum rerum sunt carnifices conscientiarum, iam oportet idem etiam de uerbo Dei & omnibus piorum admonitionibus dici, imò de ipso Filio Dei & Apostolis eius. Ista igitur in antecedente sententia est blasphemia in Filium Dei & in uerbum Dei, & impiissima totius Ecclesiæ & omnium piorum accusatio. Si distinctius loquereris, seruato uidelicet discrimine ordinatarum & inordinatarum defensionum, haberet illud suum locum. Sed in illa confusione nec debet nec potest quicquam homini suspecto concedi.

XLVI.

Doctores necessitatis operum sunt Doctores literæ, ministri peccati, iræ & mortis. D. 7.
Ergò illa doctrina non est ferenda.

RESPON.

Quis non uidet hoc argumentum cum præcedentibus suam quandam habere cognationem?

XLVII.

Defensores necessitatis operum requirunt præter iusticiam fidei etiam operum necessitatem D.7. Ergò doctrina illa de bonorum operum necessitate non est ferenda.

RESPON.

Hîc nulla est cohærentia: Quia iusticia fidei non excludit nouæ obedientiæ necessitatem. Imò uerò requirit eam tanquàm fructum à posteriori necessarium, tanquàm effectum, qui necessariò debet sequi. Idcoq; solet in Ecclesia de duplici iusticia dici, de iusticia fidei, & de iusticia bonæ conscientiæ: Et utraq; est in hac uita opus. Inde sunt illa dicta: Milita militiam bonam, retinens fidem & bonam conscientiam: Liberati à peccato serui facti estis iusticiæ: Vade & noli amplius peccare.

XLVIII.

Doctrina de necessitate bonorum operum nihil aliud facit, quàm quòd terret & perturbat conscientias, concludit eas sub peccatũ, & redigit animas in spiritualem

& miserrimam seruitutem, et conijcit conscientias in desperationem. D. 7.

Ergò doctrina illa non est ferenda.

RESPON.

Primùm, antecedens non est uerum, in ista uidelicet forma locutionis. Et possunt opponi conciones Christi & omnium Apostolorum, quales sunt Matthæi 5. 6. & 7. Rom. 6. 7. & deinceps, ut de alijs multis non dicam. Illæ ipsæ uerò conciones non tantùm non turbant conscientias: sed sunt etiam gratißimæ renatis, considerantibus in illis immensam Dei sapientiam, Ολοθεωπίαν in admonendo, promptitudinem in adiuuando, promißionem de remunerando.

Secundò, si tamen fiunt interdum terrores & reliqua, de quibus dicitur in antecedente, illa fiunt non per se, sed per accidens. Nam per se sunt admonitiones de debito erga Deum, de obedientia Deo placente: per accidens uerò fit interdum aliquid ratione hominum, qui non obediunt Euangelio, sicut Paulus loquitur Rom. 10. De illis uerò, quæ per accidens fiunt, sicut alibi dicitur, Non curæ est arti. Alioqui enim & poe-

nitentiæ & fidei præceptum terror fieri potest, illis uidelicet, qui non credunt, sicut scriptum est, Qui non crediderit, condemnabitur.

Tertiò, de materia bonorum operum non est iudicandum ex conditione conscientiarum, sed ex ipso uerbo Dei. Verbum Dei debet esse norma doctrinæ, & lucerna pedibus nostris. Conscientijs uerò non potest illud tribui. Istæ non debent regere corpus doctrinæ, sed debent regi ab ipso. Alioqui enim fieret incerta doctrina, cùm alijs aliæ sint interdum conscientiæ.

Postremò, repetantur hoc loco superiorum etiam argumentorum refutationes.

XLIX.

Sub istis improbis Magistris impossibile est hominem consequi pacem in ueris pauoribus, præsertim in agone mortis. D.7.

Ergo doctrina illa non est ferenda.

RESPON.

Magna est huius argumenti cum præcedente similitudo. Ideoq; solutio prioris hîc quoq; locum habet.

L.

Iustitia actiua & passiua non possunt simul

simul esse & regnare in conscientia. D. 8.

Ergò necessitas bonorum operum non est admittenda.

RESPON.

Antecedens est tantùm secundum quid uerum. Ista duo non possunt esse simul in conscientia, scilicet in eodem casu & respectu: Sed in diuerso casu & respectu possunt esse simul, & sunt etiam simul. Iusticia passiua (ut tamen utar ista appellatione) regnat in conscientia in casu iustificationis: sed in casu nouæ obedientiæ suus est locus iusticiæ actiuæ. De his gradibus loquuntur ista dicta: Liberati à peccato, serui facti estis iusticiæ: Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam. Eatenus igitur procedit argumentum à particulari ad uniuersale. Et ob id nulla est consequentiæ connexio.

LI.

Non tantùm propositio de necessitate bonorum operum est explodenda, sed & ipsum necessitatis uocabulum est absurdũ, improprium, conscientijs nociuum, doctrinæ iustificationis exitiosum. D. 8.

Ergò non est ferendum.

RESPON.

Antecedens non tantùm est falsum, uerùm etiam contumelioſum in uerbum Dei, in Auguſtanam confeßionem, in Lutherum & Melanthonem, & in alios quàmplurimos orthodoxos ſcriptores. Nam in omnibus iſtis uſurpatur uocabulum neceſſitatis. Hos igitur condemnat, qui talia de uocabulo illo effutire non uereretur. Talis audacia uel potius impudentia & malitia non ſcriptis, ſed publicis pœnis erat cohercenda.

LII.

Opera bona ſunt fructus ſpiritus E.I.
Ergò neceſſarij nomẽ nõ cõpetit illis.

RESPON.

Hic non eſt firma & regularis connexio. Nam nulla eſt inter illa duo contrarietas, inter fructum ſpiritus, & neceſſitatem debiti, ſed ſunt potius connexa mutuò cohærentia. Nam eo ipſo, quòd ſunt fructus, oportet eos immutabiliter ſequi. Ille ipſe fructus eſt debitum neceſſariò Deo præſtandum. Eatenus igitur poſſet argumentum hoc inuerti.

LIII.

Opera bona nõ ueniũt ex carne, neq; fiunt ſecundum carnem. E.I.
Ergò non rectè dicuntur neceſſaria.

Reſpon.

RESPON.

Sunt scopæ dissolutæ: Et proceditur à diuersis ad diuersa. Ac possent hîc instantiæ dari hoc modo: Cibus non uenit ex carne, neq; fit secundum carnem, Ergò non rectè dicitur necessarius. Fides non uenit ex carne, neq; fit secundum carnem, Ergò non rectè dicitur necessaria.

LIIII.

Spiritus sanctus inhabitãs corda credentium ducit & gubernat sanctos suos, ità, ut faciant opera bona extra omnem necessitatem & coactionem. E. I.

Ergò bona opera nõ rectè dicũtur necessaria. RESPON.

Primùm est fallacia causæ: Quia gubernatio Spiritus sancti non tollit bonorũ operũ necessitatem: Imò uerò cõstituit et confirmat eã. Nam idcò gubernat, ut faciant id, quod debent, ut sequãtur opera bona immutabiliter & de necessitate.

Secundò, concurrit etiã fallacia causæ ratione uocabuli necessitatis. Antecedens loquitur de necessitate coactionis: Cõsequens de necessitate debiti: Hæc duo manifestissimè differũt à se mutuò. Necessitas coactionis est extortum & uiolentum quiddã. Necessitas operũ est necessitas debiti ratione ordinationis & mãdati diuini.

LV.

Spiritus ſanctus inhabitãs corda credẽtium, ducit & gubernat eos, ut faciant bona opera ultrò & ſponte cum gaudio & dilectione. E. 1.

Ergò bona opera non rectè dicuntur neceſſaria.

RESPON.

Primùm eſt fallacia cauſæ, ſicut in præcedenti.

Secundò, Aliud eſt ſponte facere, aliud eſt non eſſe neceſſarium. Spontanea actio non tollit neceſſitatem debiti: Imò illud ipſum ſpontaneum eſt debitum & neceſſarium. Ideóq; utrumq; reperitur in ſacris. De ſpontaneis dicitur: Populus tuus ſpontaneus: Hilarem datorem diligit Deus. De debito dicitur: Debitores ſumus: Debemus alter alterum diligere: Serui facti eſtis iuſticiæ.

LVI.

Credentes prodeunt in opus ſeruitutis proximi liberrimè. E. 1.

Ergò bona opera non rectè dicuntur neceſſaria.

RESPONSIO.

Primùm, Antecedens propriè loquendo non

eſt

est uerum. Liberè agere propriè loquendo est agere aliquid sine obligatione ad id agendum, & ità agere, ut possis illud omittere. Sed hoc non potest de bonis operibus dici. Nec extat talis locutio, neq; in sacris, quod constet, neq; in orthodoxis, quatenus propriè loquuntur,

Secundò, si uel maximè intelligatur de spontanea actione: tamen aliud est sponte agere, & aliud est, non esse necessarium. Ideoq; ex altero alterum inferri non potest: Imò illud ipsum spontaneum est necessarium.

LVII.

Sancti nihil operantur necessitate impellente. E. I.
Ergò opera sanctorum non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

In antecedente est fallacia Amphiboliæ. Duplex est necessitas, alia est debiti, alia coactionis. Lutherus dicit, aliã esse coactionis, aliam gratiæ seu immutabilitatis. Iam si antecedens intelligatur de necessitate debiti, in isto sensu nõ est uerum: quia scriptum est: Oportet obedire Deo, Necesse est obedire, Debitores sumus, Necessitas mihi incumbit. Si uerò intelligatur de necessitate

coactionis, eatenus conceditur antecedens: Sed in isto casu non ualet consequentia. Nam aliud est loqui de necessitate coactionis, & aliud est loqui de bonorum operum necessitate.

LVIII.

Sancti nihil operãtur lege cogẽte. E. I. Ergò opera sanctorum non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Primùm, distinguendum est inter coactiones & admonitiones legis. Sancti nihil operantur ratione coactionis legis: sed ratione admonitionum legis, quatenus uidelicet est pædagogus, operantur tamen benè: quia scriptum est: Lex Domini immaculata, cõuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis: Lex bona est & iusta, legitimè utentibus ea.

Secundò, uicium est in consequentia. Aliud est enim loqui de coactione legis, aliud de bonorum operum necessitate. Idcoq; alterum ex altero inferri non potest. Quoties ucrò fit illud, iam tùm regula opponenda est: A non distributo ad distributum non ualet consequentia.

LIX.

Sancti operantur omnia spiritu libertatis. E. I. Ergò

Ergò opera sanctorum non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Primùm est fallacia secundum quid. Antecedens nõ est uniuersaliter uerum: quia scriptum est: Iustus in die septies cadit: Video aliam legem in membris meis.

Secundo: Consequentia non est boua: quia spiritus libertatis & necessitas bonorum operum non sunt pugnantia, sed connexa. Ideoq; rectè dicitur, operari spiritu libertatis est etiam debitum necessariò Deo præstandum.

LX.

Iustus sic uiuit, ut nulla lege habeat opus, quæ eum admoneat. E. I. Ergo bona opera nõ rectè dicũtur necessaria. RESPON.

Primò, Antecedens in isto sensu, Antinomico uidelicet & Enthusiastico, non est uerum. Ac possunt ei permulta opponi. Primò exemplum Adæ & Euæ ante lapsum: Secundò repetitio Decalogi in concionibus Christi facta ad Apostolos: Tertiò creberrimæ in sacra scriptura admonitiones: Quartò communis debilitas in hac uita, de qua scriptum est: Iustus in die septies cadit: Video aliam legẽ in membris meis: Postremò noticia legis in altera uita.

Se-

Secundò, Si maximè uiueret ità iustus, tamen ratione uerbi diuini maneret regula: Debitores *sumus: Creatura intelligens debet obedientiam Deo. Et constat in hoc genere iudicandum esse non ex uita iusti, sed ex ipso* Dei *uerbo.*

LXI.

Iustus sponte facit, quod Lex exigit, sine omni necessitate & coactione legis. E. I.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Hoc argumentum consentit cum uigesimo quarto, Ideoq; refutatio illius hic quoq; locum habet.

Deinde ratione uocabuli Necessitatis repetenda est explicatio argumenti LVII. *&* LIIII.

LXII.

Sicut sol ex natura sua & uoluntate immutabili lucet sine admonitione, ità & iusti eadem ratione liberrimè faciunt omnia. E. I.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

Respon-

RESPON.

Primùm, im antecedente est mirabilis ἀκυρολογία, in eo, quod dicitur, Sol lucet immutabili uoluntate.

Secundò, similitudo ista in antecedente posita, non satis congruit in illis rebus: quia alia est ratio rerum naturaliter agentium, alia uoluntariarum, sicut etiam alia est brutorum, & alia non brutorum. Eo nomine falsum est, quod de iustis dicitur: Iusti sua natura & immutabili uoluntate liberrimè sine adminitione faciunt omnia. Scriptum est enim: Iustus in die septies cadit: Video aliam legem in membris meis: Spiritus promptus est, caro imbecillis: Caro concupiscit aduersus Spiritum.

Tertiò, in forma uel consequentia committitur fallacia causæ: quia talis faciendi modus non tollit necessitatem faciendi: Imò iste ipse modus cadit in debitum & obligationem.

LXIII.

Iustus non expectat, donec cogatur aut necessitate impellatur. E. 2.

Ergo bona opera non rectè dicuntur necessaria.

Respon.

RESPON.

Primùm est ambiguitas in uocabulo necessitatis, sicut in præcedentibus quibusdã. Sed uidetur tamẽ scriptor ad coactionis necessitatẽ respicere.

Secundò, in forma uel consequentia est fallacia causæ: quia aliud est loqui de coactiõe & necessitate coactionis, aliud de bonorum operum necessitate, sicut sæpissimè dixi.

LXIIII.

Spiritus sanctus non sinit iustũ ociosum esse, donec excitetur à lege aut necessitate illa. E.2.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Primùm: Antecedens quo ad posteriorem partem, non est uniuersaliter uerum: quia Spiritus sanctus excitat iustos ad benè operandum: sed ad eã rem utitur uerbo Dei uel audito uel cogitato: Et in eo pars aliqua est ipsa lex moralis.

Secundò, quod de necessitate dicitur, in eo est ambiguitas frequentissima autori in toto scripto.

Tertiò, quo ad cõsequentiam potest argumentum illud egregiè inuerti hoc modo: Spiritus sanctus non sinit iustum ociosum esse. Ergò uult fieri opera bona. Per consequens sunt eo ipso necessaria.

Opera

LXV.

Opera simulata sunt impia. E. 2.
Opera extorta necessitate aut lege sunt simulata E. 2.
Ergò opera extorta necessitate aut lege sunt impia.
Per consequens, Bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

De priori argumento non dicam nunc admodum. Sed posterius argumentum nihil ualet, quia aliud est loqui de operibus, ui uel coactione extortis, & aliud loqui de operibus bonis.

LXVI.

Lex non exigit nostra opera. E. 2.
Ergò bona opera non sunt necessaria.

RESPON.

Primùm, antecedens est manifestißimè falsum, sicut animaduerti potest, partim ex ipsa forma præceptorum Decalogi, partim ex doctrina de usibus legis in Ecclesia, in quam sententiam antea nonnihil est dictum. Ac est in antecedente unum ex Antinomicis in hoc libro delirijs. Hoc non est docere uel explicare, sed inuoluere & implicare doctrinam, & reddere tandem eam suspectam.

Sea

Secundò, in consequentia est fallacia causæ: quia bona opera sunt necessaria, non tàm ratione legis, quàm ratione mandati de pœnitentia agenda, de quo ipso etiam antea nonnihil est commemoratum.

LXVII.

Paulus 2. Corinth. 9. iubet dari Eleemosynam, sed non ex necessitate. E. 2.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Primùm est fallacia phrasis in antecedente, & fallacia causæ in consequentia. Vocabulum necessitatis in isto dicto debet intelligi de coactione, uel inuita Eleemosynæ donatione, sicut apparet ex præcedenti uoce, non ex tristicia aut ex necessitate. Eatenus non pertinet ad hanc materiam: quia aliud est loqui de coactione uel inuita Eleemosynæ donatione, & aliud est loqui de necessitate debiti, de qua agitur hoc loco. Hoc ideò dicitur: quia uocabulum ipsum est πολύσημον. Sed in singulis tamen materijs singulæ sunt locutiones retinendæ & usitatæ significationes accommodandæ. Ergò argumentum illud procedit à non distributo ad distributum.

Secundò

Secundò committitur etiam fallacia compositionis & diuisionis: quia paulò antè dicit Paulus: Necessarium existimaui rogare uos. Et alibi dicit: Necesse est obedire. Necessitas mihi incumbit. Patientia est necessaria.

Tertiò, in talibus materijs semper iudicandum est ex materijs non peregrinis, sed proprijs, ex ipsis uidelicet sedibus ordinarijs. Tales autem sedes sunt, quoad illud uocabulum in hoc materiæ genere, in his dictis: Necesse est obedire: Necessitas mihi incumbit: Patientia est necessaria: Abstinere à fornicatione est necessarium. Deinde sedes ordinariæ, quoad summam doctrinæ, sunt, Matth. 5.6.7. Rom. 6. usq; ad finem ferè. In Galatis posterior pars. 1. Timoth. 1. Iohannes in Epistolis, Petrus in Epistolis, Iacobus & Iudas in Epistolis. Imò tota sacra Scriptura passim concionatur de obedientia renatorum, adeò, ut nullus sit liber, in quo non proponatur uel præceptum, uel admonitio, uel exemplum operum bonorum.

LXVIII.

Hilarem datorem diligit Deus. E. 2. Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Sunt ſcopæ diſſolutæ. Antecedens loquitur de promptitudine donationis: Conſequens de neceßitate debiti. Illa duo non pugnant inter ſe: ſed ſunt potius ſuo modo connexa: Nam illud ipſum, hilariter dare, eſt à Deo mandatum, ordinatum, ſancitum: Et fit eatenus obligatorium & neceſſariũ, hoc eſt, tale quiddam, quod oportet præſtari, & in quo neceſſe eſt obedire Deo.

LXIX.

2. Corinth. 8. Si uoluntas prompta eſt, accepta eſt. B. 2.

Ergò bona opera non rectè dicuntur neceſſaria.

RESPON.

In conſequentia eſt fallacia cauſe, Quia dicta de promptitudine non tollunt neceßitatem debiti. Ac ualent hìc Regulæ, Ipſa promptitudo eſt debitum: Præcepta de promptitudine facti ponunt etiam neceßitatem facti: Præcepta de promptitudine faciendi ueniunt etiam cum obligatione de neceßitate faciendi.

Hũc pertinent & illæ diſtinctiones, Aliud eſt loqui de promptitudine, & aliud de libertate: Aliud

Aliud est promptum esse, & aliud liberum esse: Aliud est promptè agere, & aliud liberè agere, latinè uidelicet & propriè loquendo.

LXX.

Opera ex necessitate facta non possunt placere Deo. E. 2.
Ergò bona opera non sunt necessaria.

RESPON.

Est merum Sophisma. Aliud enim est, Bona opera sunt necessaria, & aliud, Bona opera sunt ex necessitate facta, præsertim in eo sensu, in quo autor iste utitur, nempe de coactione. Ac ualent hoc loco usitatæ regulæ: A non distributo ad distributum, A diuersis ad diuersa, non ualet consequentia.

LXXI.

Paulus non uult Philemonem facere aliquid boni ex necessitate. E. 2.
Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

De hoc Argumento idem dici potest, quod de 67. 69. 70.

In his igitur Argumentis nihil aliud agit Antagonista meus, nisi ut colligat ἀπροσδιονυσίαν impertinentia. Interim omittit ea, quæ

maximè conueniunt. Hoc nihil est aliud, quàm abuti Scriptura, ludificari homines, excarnificare conscientias, abducere homines in syluam sine reductione, facere uulnera sine curatione.

LXXII.

1. Pet. 5. Pascite gregem Dei, prouidentes, non coactè, sed spontaneè E. 2.

Ergò bona opera non sunt necessaria.

REPON.

De hoc argumentorum genere est sæpissimè iam dictum. Aliud est loqui de coactione, sicut fit in antecedente: Et aliud de necessitate debiti, de qua agitur in consequente. Sed repetantur hìc superiora.

LXXIII.

Psal. 110. Vaticinatur de futura libertate & promptitudine bonorum operum in nouo Testamento. E. 3.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

Respon.

RESPON.

Primùm in antecedente est fallacia Amphiboliæ, in uocabulo libertatis. Si respicis ad immunitatem à bonis operibus, iam non est uerum: quia nemo est à bonis operibus immunis. Si uerò respicis ad promptitudinem in faciendis operibus bonis, id posset concedi quo ad sententiam: Sed non potest concedi ratione uocabuli. Nam aliud est promptitudo, aliud libertas. Promptitudo significat animi propensionem uel facilitatem: Libertas significat immunitatem. De hoc discrimine iudicari potest ex uulgaribus locutionibus. Rectè dicitur, Renati habent libertatem à peccato & morte: Sed non rectè dicitur, Renati habent promptitudinem à peccato & à morte. Repetantur & superiora quædam.

Secundò, dictum Psalmi loquitur de spontanea piorum oblatione. Aliud autem est spontanea piorum oblatio, & aliud libertas, in quam sententiam sunt iam quàmplurima dicta.

LXXIIII.

Necessitas bonorum operum iuxta uaticinium Psalmi 110. non habet locum in nouo Testamento. E. 3. Ergò opera bona non sunt necessaria.

RESPON.

Antecedens non est uerum propter duas causas. Primùm, quia dictum Psalmi loquitur de promptitudine: Et eatenus non tollit necessitatem, sicut est ad fastidium usq; dictum. Secundò, quia necessitas bonorum operum collocatur ibi, ubi tota pœnitentia & necessitas eius collocatur. Ista uerò collocatur in nouo Testamento, de quo alibi dici solet.

LXXV.

Defensores necessitatis colunt & adorant eam tanquàm Idolon. E. 3. Ergò doctrina illa non est ferenda.

RESPON.

Antecedens nihil aliud est, quàm sophisma. Nos unum colimus Deum, & quidem illum solum: Necessitatem uerò operum nec colimus nec adoramus: Sed doctrinam eius retinemus, urgemus & inculcamus, propter multas & grauissimas causas. Est enim pars uerbi diuini, & quidem talis, quæ subinde repetitur in sacris. Præterea, ut nunc sunt tempora, utile esset, sæpè homines de bonis operibus commonefieri, seruata tamen iusta tractationis ratione.

Lutherus

LXXVI.

Lutherus ait, uocabulum Necessitatis simpliciter non esse Theologicum, neq; eius usum esse pium & licitum, in hac materia operum iustorum. E. 3.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Antecedens, quoad illam uocabuli uim, sensum & usum, in quo tu uteris eo, prorsus non est uerum, propter tres potissimùm causas.

Primùm, quia Lutherus ipse utitur illo uocabulo in Germanicis & Latinis: & utitur eo in ista significatione, quam nos quoq; retinemus. Id apparet ex testimonijs meis germanicis et latinis.

Secundò utitur etiam Synonimis eius in Germanicis & Latinis, cuius generis multa possunt exempla recitari. Constat autem Synonimorum unam & eandem uim esse, & de æquipollentibus unum idemq; iudicium esse.

Tertiò, si faceret hoc Lutherus, quod in Argumento de ipso dicitur, iam eo ipso condemnaret uerbum Dei, Augustanam confessionem, sua ipsius scripta, & omnia propemodum

orthodoxorum scripta. Nam in omnibus istis reperiuntur hæc uocabula, Necessitas, Necessarium, Necesse, in ista bonorum operum materia. Ea in re refero me ad testimonia mea.

LXXVII.

Vocabulum necessarij pertinet ad Philosophos, Iurisconsultos, Medicos. E. 3.

Ergò non rectè accommodatur ad hanc Theologicam materiam, Per consequens, Non rectè dicitur, Bona opera esse necessaria.

RESPON.

In antecedente est fallacia secundum quid. Vocabulum necessarij pertinet ad illos, de quib. dicitur in antecedente: sed non tantùm. Est enim uniuersale uocabulũ, & pertinet ad omnes facultates, ad omnes gradus & ordines uitæ.

In hoc ipso autem argumento concurrit etiam blasphemia quædam in uerbum Dei. Nam uocabulum illud aliquoties in sacris usurpatur, sicut nonnulla testantur exempla, de quibus suprà.

In

LXXVIII.

In regno Christi nullum est isti uocacabulo dominium. E. 3.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Antecedens non est uerum: Et congruit cum præcedenti & alijs quibusdam superioribus.

LXXIX.

Vocabulum Necessitatis nullo modo potest sine summa absurditate & impietate operibus gratię accommodari. E. 3.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Antecedens non est uerum: Et in eo simile est multis superioribus. Ac possunt ei opponi exempla sacræ Scripturæ, Augustanæ confessionis, Lutheri, Melanthonis, & aliorum ualdè multorum, de quibus in testimonijs meis germanicis & latinis.

LXXX.

Vocabulum illud est peregrinum & alienum à uerbo Dei. E. 3.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Antecedens est manifestißimè falsum. Ac possunt opponi hæc uerbi diuini dicta: Vnum *est necessarium:* Necessarium *est abstinere à fornicatione:* Patientia *est necessaria:* Necessarium *existimaui rogare uos:* Necesse *est obedire:* Neceßitas *mihi incumbit.*

LXXXI.

Necessitas illa est uiolenta & imperiosa impulsatrix. E. 3.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Primùm, in antecedente est fallacia falsæ propositionis, quoad particulam, Violenta impulsatrix: *quia non loquimur hîc de uiolenta coactione.*

Secundò, quoad particulam, imperiosa, est fallacia causæ, quia conditio mandati uel imperij

non

non tollit bonorum operum neceßitatem, ſed potius ponit eam. Idcò ſunt opera bona neceſſaria, quòd à Deo præcipiuntur, mandantur, imperantur. Quicquid enim mandat Deus credentibus, ad illud ſunt credentes obligati, & tenentur id præſtare. Quando Magiſtratus aliquid mandat, ibi tenentur ſubditi obedire. Idem ualet in domino & ſeruo, patre & filio, præceptore & diſcipulo. Multò magis ualet in mandatis creatoris, conſeruatoris, redemptoris, gubernatoris, Domini, Patris & Præceptoris cœleſtis et æterni.

LXXXII.

Lutherus dicit, phraſes illas legales, Fidelis debet bona opera facere, non pertinere ad credentes, ſicut non rectè dicitur, Sol debet lucere, Arbor bona debet bonos fructus ferre. E. 4.

Ergò nulla eſt bonorum operum neceſsitas, nec eſt neceſſe admonere credentes.

RESPON.

In his & ſimilibus Lutheri locutionibus ſæpè repetenda eſt regula: In omnibus oratorijs

torijs ſcriptis duplices ſunt locutiones, Regulares & figuratæ. Item, alia eſt oratio dogmatum, alia declamationum. Idem in Luthero ualet, & quidem multipliciter ualet. In hoc ucrò textu partim hyperbolæ, partim aliæ figuræ uſurpantur. Eatenus opus eſt explicatione.

Primùm, quod de phraſibus dicitur, in eo ſine dubio reſpicit Lutherus ad coactionis rationem. Ac pertinet hùc diſtinctio Lutheri: Neceſsitas alia eſt coactionis, alia conſequentiæ & immutabilitatis. Eadem de uoce, debere, uſurpari poteſt. Ergò, cùm reijcit hanc phraſin, Fidelis debet bona opera facere, ſententia eſt, quòd fidelis teneatur quidem opera bona facere, ſed non ex coactione. Interim tamen manet debitum ipſum, de quo Paulus dicit, & neceſsitas conſequentiæ, de qua Lutherus dicit. Hòc modo nihil eſt in illo dicto periculi. Alioqui nec uerbo Dei ſatisfaceret, nec ſibi ipſi conſtaret Lutherus. Nam in uerbo Dei expreſsè dicitur: Debemus alter alterum diligere, Debitores ſumus. Ita & ipſe ſæpè talibus locutionibus utitur, in quibus ſunt illa uocabula, Neceſſe, debere, oportere.

Secundò, interdum in talibus utuntur nonnulli diſtinctione ueteris & noui Adami: quoad nouum Adamum, ſi ſolus eſſet in homine, non eſſet

esset opus peculiaribus excitationibus: sed manet in credentibus uetus etiam Adam, sicut scriptum est, Iustus in die septies cadit, Caro concupiscit aduersus Spiritum, Video aliam legem in membris meis, Spiritus promptus est, caro autem imbecillis. De hoc ueteri Adamo non potest dici, quòd sit noua creatura & noua arbor: quia semper manet sui similis, & non deponitur nisi in morte. Propter illum uetcrem Adamum crebræ sunt in sacris literis ad credentes, ad totam ipsorum personam admonitiones: Et necesse est eas in Ecclesia manere. Propter eundem rectè dicitur ad credentem, Oportet te obedire Deo. Hoc modo consentit hoc dictum cum alijs Lutheri locutionibus, cum mandatis diuinis de bonis operibus, cum admonitionibus Apostolorum, cum quotidianis in Ecclesia commonefactionibus. Alioqui enim pugnaret cum his dictis, Expurgate uetus fermentum, sicut estis Azymi: Milita militiam bonam, retinens fidem & bonam conscientiã. Præterea tolleretur ea ratione non tantùm necessarij uocabulum, uerùm etiam æquipollentia eius, ut, debere, oportere, debitorem esse, Sollen vnd müssen. Sed hoc esset Antinomicum, à quo constat Lutherum longissimè abfuisse & abhorruisse.

Tertiò

Tertiò committitur etiam fallacia compositionis & diuisionis. Quia in eodem Lutheri scripto extant etiam alia uerba pro nostra sententia contra dogmata de libertate, & quidem longè illustriora, ut cùm dicit, Iusticia operum est necessaria, & quidem coram Deo.

LXXXIII.

Lutherus in disputatione Anni 1536. reiecit & abrogauit uocabulum Necessarij. E.4.

Ergò non est ferendum.

RESPON.

Primùm, Ista disputatio Lutheri est opposita Antinomicis Propositionibus, sicut uocantur in scriptis Lutheri. Eatenus disputatio illa patrocinari aduersario meo non potest: Imò uerò repugnat ipsi propter cognationem dogmatum eius cum uetere Antinomia, quod euidentissimè probari potest, partim ex scriptis D. Philippi, & aliorum doctorum, partim ex mutua sententiarum collatione.

Secundò, Textus iste Lutheri debet intelligi de materia iustificationis. Id ex ipsis Lutheri uerbis apparet, si series disputationis consideretur. Hæc explicatio est & uera & necessaria.

Alioqui

Alioqui enim Lutherus & sacræ Scripturæ contradiceret, & Augustanæ confessioni præiudicaret, quam tamen maximi fecit, & sibi ipsi non constaret, cùm & in eadem disputatione & in alijs multis scriptis sæpissimè sit illo uocabulo ipse quoq; usus.

LXXXIIII.

Lutherus dicit, Non esse ferendum, ut Physici illi termini & uocabula inutilia, imò scandalosa, perturbent articulum iustificationis. E. 5.

Ergò uocabulum necessarij non est ferendum.

RESPON.

Textus Lutheri loquitur de Physico termino: Eatenus non pugnat illud dictum contra usitatam de necessitate bonorum operum propositionem. Quare? Quia uocabulum Necessarij in ista materia non usurpatur Physicè, sed Theologicè: Et intelligitur non de Physica, sed de Theologica immutabilitate, hoc est, de re debita Deo ratione mandati, ordinationis et constitutionis diuinæ, immotæ, æternæ, immutabilis & uniuersalis. De hoc uocabuli usu uel significatione

ficatione sæpè solet à nostratibus dici: Et extant non pauca in scriptis D. Philippi, *& aliorum. Hæc explicatio est & uera & necessaria. Aliqui enim Lutherus nec sibi constaret, nec alijs orthodoxis consentiret, præsertim cùm & ipse & alij uocabulo Necessarij in articulo Iustificationis utantur, ut cùm dicitur: Fides ad iustificationem est necessaria.*

LXXXV.

Lutherus dicit uocem illam aut distinguendam aut tollendam, uel prorsus repudiandam. E. 5. Ergò uocabulum Necessarij non est ferendum.

RESPON.

De hoc argumento potest iudicari ex usitata Regula, *In disiunctiuis opus est iusta membrorum subsumptione. Sed illud hîc non fit, quia hîc infertur conclusio sine membrorum subsumptione. Præterea pertinet hùc* Regula Iurisconsultorum: *In alternatiuis satis est id, quod tolerabilius est, eligere. Tolerabilius autem est distinguere, quàm prorsus repudiare. Ac valet hîc ista distinctio, In casu iustificationis non sunt opera*

opera bona necessaria: Sed post iustificationem sunt necessaria, tanquàm fructus, quos oportet sequi. Hæc congruunt cum toto corpore doctrinæ Lutheri & omnium in nostris Ecclesijs Doctorum. Deinde congruunt cum sententia Lutheri in isto loco: Quia Lutherus ipse sic ibi loquitur & distinguit.

LXXXVI.

Lutherus censet abolendas has voces, facere, operari, & Necessitarium ad salutem. E. 5.

Ergò uocabulum Necessarij non est ferendum.

RESPON.

Primum est fallacia causæ, quia aliud est esse necessarium ad salutem, & aliud est esse necessarium sine appendice illa.

Secundò, est etiam fallacia secundum quid, quia procedit à particulari ad uniuersale. Ac possunt hic instantiæ dari. Cibus non est necessarius ad salutem, Ergò prorsus non est necessarius. Dormire non est necessarium ad salutem, Ergò prorsus non est necessarium. In hanc sententiam possunt etiam multa alia excogitari.

LXXXVII.

Lutherus dicit, uocabulum Necessarij esse ambiguum, ineptum et absurdum in Theologia, pariens multas speculationes, & propterea abolendum. E. 6.

Ergò non est ferendum.

RESPON.

Textum istum Lutheri oportet intelligi de uocabulo Necessarij ambiguè usurpato & non satis explicato. Id apparet ex toto istius loci in Luthero contextu: Alioqui enim sibi ipsi non constaret Lutherus, præsertim cùm & ipse eam sæpissimè usurpet. Deinde tollerentur etiam he locutiones, Pœnitentia est necessaria, Contritio est necessaria, Fides est necessaria.

Quomodo uerò uocabulum illud in hac materia usurpetur, & quid propriè significet, id iam aliquoties est dictum, nempe, quòd debeat intelligi de debito, de re, quam oporteat præstari ratione mandati, & constitutionis diuinæ. Hæc est uera sententia, congruens cum locutionibus sacræ Scripturæ, & Augustanæ confessionis, & cum explicationibus D. Philippi, & aliorum.

Luthe-

LXXXVIII.

Lutherus dicit, Iustum non debere benè uiuere, sed uiuere benè. E. 6.
Ergò non rectè dicitur de necessitate.

RESPON.

Hoc argumentum est simile 82. Inde igitur de hoc quoq; iudicari potest.

LXXXIX.

Lutherus ait, Legem uelle spontaneo corde impleri. E. 6.
Ergo non rectè dicitur de necessitate.

RESPON.

De talibus argumentis sæpè est antea dictum. Et ualet in illis Regula, ipsum etiam spontaneum est necessarium.

Idem autem argumentum potest etiam inuerti hoc modo: Lex uult impleri corde spontaneo, Ergò oportet ita impleri. Per consequens rectè dicitur de necessitate. Ita hoc dictum Lutheri est contra Declamatorem istum. Talia multa sunt in utroq; oppugnatoris mei scripto, germanico & latino. Id cùm non satis consideraret, seipsum indignissimè inuoluit, & trahit insuper alios unà secum in eandem calamitatem.

XC.

Lutherus ait, Deum odisse mercenarios, & quærere hilares datores, qui nulla necessitate, sed sola beneuolentia ei seruiant. E.6.

Ergò non rectè dicitur de necessitate,

RESPON.

In isto dicto loquitur Lutherus de ijs, qui uel hypocriticè faciunt aliquid benè uel ex coactione. Eatenus non pertinet illud argumentum ad præsentem materiam. Nam nos loquimur de ipso debito, non loquimur nec de conditione soluentium, nec de modo solutionis.

Hoc loco repetenda sunt etiam superiora in argumento 67.68.69.71.

XCI.

Lutherus ait, Christum sic abrogasse Legis opera, ut indifferenter ea haberi possent. E.7.

Ergò bona opera non sunt necessaria, sed libera & ἀδιάφορα.

RESPON.

In textu Lutheri est aliqua ambiguitas in phrasi de operibus legis.

Primùm

Primùm potest intelligi de operibus ceremonialibus, sicut solet interdum illa phrasis usurpari, cuius rei exempla sunt in sequentibus. Eatenus dictum illud nihil facit ad præsentem disputationem, in qua loquimur non de ceremonialibus, uel de moralibus operibus.

Secundò, Si respicit ad opera moralia in eo casu uocabulum (indifferenter) in antecedente haud dubiè oportet intelligi ad differentiam coactionis, quasi dicat, promptè & sine coactione. Ità sententia est, Christus sic abrogauit legem, ut fieret nobis facilis, ut posset à nobis promptè, sine coactione & sine difficultate præstari. Hæc explicatio sumitur ex ipso uerborum Lutheri contextu: quia continuò sequitur, Non autè amplius cogãt. Et immediatè præcedit, Opera legis & lex ipsa non sunt sic finita per Christum, ut ea nullo modo liceat operari etc. Eatenus consentit etiam illa Lutheri sententia, cum uerbo Dei, cum Confessione Augustana, cum omnibus orthodoxis, in quibus & commonefactiones sunt ad opera bona, & creberrimæ sunt hæ uoces, debet, oportet, debitores, & æquipollentes.

XCII.

Lutherus ait, opera Legis post Chri-

ſtum eſſe inſtar diuitiarum, honorum, poteſt ais, iuſticiæ ciuilis, ac aliarum rerum temporalium, quas ſi habeas, non ideò melior es, ſi careas, non ideò peior. E.7.

Ergò bona opera non ſunt neceſſaria, ſed libera & ἀδιάφορα.

RESPON.

Primùm, reſpicit Lutherus ad opera legis ceremonialia: quia textus immediatè præcedens loquitur de Circumciſione.

Secundò, reſpicit ad caſum iuſtificationis & reconciliationis cum Deo, quia continuò ſequitur: Eſſes autem peßimus, ſi eas res neceſſarias aſſereres, quò Deo placeres. Quid quod in ipſo antecedente dicitur, coram Deo? Eatenus igitur dictum illud prorſus non facit ad præſentem diſputationem.

XCIII.

Lutherus ait, nos ratione libertatis, quam in Chriſto habemus, nulli prorſus externo operi alligatos eſſe, ſed liberos eſſe in quodlibet, ad quemlibet, quocunq; tempore & modo. E.7.

Ergò

Ergò bona opera non sunt necessaria, sed libera.

RESPON.

Sicut in præcedentibus, ita hic quoq; loquitur de ceremonialibus & similibus. Primùm, quia in textu dicitur de externis operibus. Secundò, quia continuò sequitur, Nisi ubi fraterna caritas & pax offenditur. Hoc posterius dictum consentit cum usitata regula: Ceremoniæ possunt uel obseruari uel omitti, pro ratione scandali apud proximum, Ergò dictum illud ea ratione intellectum non facit ad præsentem disputationem.

XCIIII.

Lutherus ait, Christianum ad omnia prorsus indifferentem esse. E.g. Ergò opera bona non sunt necessaria, sed libera.

RESPON.

Hic iteram loquitur de operibus ceremonialibus et omnibus Adiaphoris, sicut ex præcedentibus & sequentibus apparet.

XCV.

1. Reg. 10. dicitur ad Saulem, Mutaberis in alium uirum, & fac,

quodcunq; inuenerit manus tua, E.8.

Ergo bona opera non sunt necessaria, sed libera.

RESPON.

Iste textus non loquitur de libertate bonorum operum, sed de officijs Saulis, quoad illam politicæ gubernationis uocationem.

XCVI.

Veritas Euangelij, secundum Lutherum, est scire, quòd omnia liceant, quòd mundis omnia sint munda, E.8.

Ergò bona opera non sunt necessaria, sed libera.

RESPON.

Loquitur de ceremonialibus & similibus Adiaphoris. In moralibus certè non habet locum.

XCVII.

Lutherus ait, legem esse morturam, E.8.

Ergo bona opera non sunt necessaria.

Respon.

RESPON.

Primùm, est fallacia secundum quid, in antecedente: Lex est mortua, quoad condemnationem credentium: Sed manet tamen credentibus, quoad pædagogiam de uirtutibus placentibus Deo. Econtrà, Non credentibus nihil mortuum est in lege.

Secundò, aliud est loqui de morte legis, aliud de nouæ obedientiæ necessitate. Etiamsi tota lex esset mortua, tamen maneret necessitas nouæ obedientiæ ratione mandati de pœnitentia.

XCVIII.

Voluntas, secundum Lutherum, nulla lege potest fieri uel induci, ut faciat uoluntariè legem, quantumlibet foris operari cogatur, Imò uoluntas semper est inuita & odientissima legis. E. 8.

Ergò bona opera non sunt necessaria.

RESPON.

Hic nulla est cohærentiæ ratio. Aliud enim est debilitas uel uoluntatis uel legis, aliud necessitas operum bonorum: Et ex altero alterum inferri non potest.

XCIX.

Lutherus ait concionem de necessitate bonorum operum nocere conscientijs. F. 1.2.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Primùm, Lutherus loquitur ibi de necessitate bonorum operum, quatenus referuntur ad casum iustificationis.

Secundò, Si respiceret Lutherus ad casum obedientiæ, quæ debet sequi iustificationem, esset illud tantùm per accidens uerum. Concio de necessitate bonorum operum per se non nocet conscientijs: quia est uerbum Dei. Sicubi nocet, id fit, non ratione istius concionis nec ratione uerbi diuini, sed propter illos, qui sibi malè sunt conscij. Propter tales autem nihil decedit autoritati & summæ uerbi diuini.

Tertiò, Quòd si maximè noceret conscientijs quorundam, tamen de uerbo Dei non est iudicandum ex conscientijs. Conscientiæ debent non regere uerbum Dei, sed regi ab ipso. Verbum Dei debet esse norma conscientiarum, & non econtrà. Loquamur igitur, sicut uerbum Dei loquitur,

quitur, quoquomodo uel conueniat hoc conscientijs uel repugnet. Alioqui si à conscientijs hominum dependendum esset, nihil posset in religione firmum esse, cùm magna sit conscientiarum dissimilitudo.

C.

Lutherus ait apud Christianos nec posse nec debere esse coactionem. F. 2.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Sæpè dictum est de discrimine coactionis & necessitatis in materia operum bonorum.

CI.

Lutherus ait, fidem interire, quàm primùm conscientię externis legibus ligantur. F. 2.

Ergò bona opera non sunt nessaria.

RESPON.

Loquitur de coactione, & de traditionibus humanis.

CII.

Lutherus ait, Christianos tantùm Spiritu

ritu ducendos & regendos esse. F. 2.

Ergò bona opera non sunt necessaria.

RESPON.

Duci & regi Spiritu non pugnat cum bonorum operum necessitate: quia hoc ipsum est necessarium, ut ita ducantur & regantur.

CIII.

Lutherus ait, Iustificatos nihil amplius debere, nisi ut diligant. F. 2.

Ergò bona opera non sunt necessaria.

RESPON.

Istud antecedens est contra Libertinos & Antinomos. Eatenus soluitur argumentum illud per inuersionem.

CIIII.

Lutherus ait, Christianorum statum debere carere coactione. F. 3.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Inter coactionem & bonorum operum necessitatem est euidentissimum discrimen.

Luthe-

CV.

Lutherus ait, insanos esse, qui præcipiunt iustis, ut faciant opera bona. F. 4.

Ergò non est opus admonere credentes.

RESPON.

Antecedens loquitur de iustis, in quantum sunt iusti, & in quantum iam operantur benè. Sed in talibus simul considerandæ sunt reliquiæ debilitatis: Et ualent hîc illa dicta, Iustus in die septies cadit, Video aliam legem. Propter hanc debilitatem opus est perpetua admonitione in hac uita.

CVI.

Lutherus ait, opinionem de necessitate præbere occasionem perturbationi in conscientia &c. F. 4.

Ergo bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Si respicit Lutherus ad casum iustificationis, poterit totum concedi argumentum: sed ita tamen, ut & consequens de eodem intelligatur.

Si

Si uerò respicit ad casum obedientiæ, qua debet sequi iustificationem, in eo distinguendum est inter rectè & malè agentes, inter rectè & malè institutos, inter ea, quæ per se & per accidens fiunt. Apud rectè agentes, apud rectè institutos, & per se non fiunt illa, de quibus dicitur in antecedente: sed si fiunt, tantùm per accidens fiunt, & apud illos, qui uel non rectè se gerunt, uel non rectè sunt instituti.

CVII.

Lutherus ait, non esse pendendum ex lege, & non debere esse legem, ubi est Spiritus. F. 4. & 5.

Ergò bona opera non sunt necessaria.

REPON.

Ex lege non est pendendum, scilicet in casu iustificationis: sed post iustificationem tamen suus est legi locus tribuendus: quia scriptum est, Non ueni soluere legem, Legem per fidem stabilimus.

Vbi est Spiritus sanctus, ibi non debet esse lex, scilicet quoad condemnationem: Sed manet tamen quoad pœdagogiam, uel formulare uirtutum Deo placentium, sicut ex præcedentibus apparet dictis.

La

CVIII.

Lex & opera, secundum Lutherum, non debent ad conscientiam referri. F. 5.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Antecedens loquitur de casu iustificationis & coactionis. De talibus uerò non agitur in præsenti disputatione.

CIX.

Lutherus ait, Apostolos non de lege, sed de gratia solicitos fuisse. F. 5.

Ergò bona opera non rectè urgẽtur.

RESPON.

Textum illum Lutheri oportet intelligi de casu iustificationis, sicut ex sequentibus Lutheri uerbis apparet. Alioqui enim falsum esset antecedens, cùm extent in Apostolis non tantùm de gratia, uerùm etiam de lege & operibus gratiæ conciones.

CX.

Lutherus ait, Pseudoapostolos urgisse doctri-

doctrinam de lege & operibus. F. 5.

Ergò non rectè urgetur illa doctrina.

RESPON.

Primùm, quod de Pseudoapostolis dicitur, id uerum est de uno genere Pseudoapostolorum, nempe de illis, qui urgebant Iudaismum unà cum Christianismo. Sed est & aliud genus Pseudoapostolorum, quod ratione gratiæ tollebat doctrinam de bonis operibus. Nos ab utroq; dissentimus, Et seruamus medium, quod & Apostoli faciebant. Papistæ uerò & Antinomi consentiunt cum Pseudoapostolis, Papistæ quidem cum prioribus, Antinomi uerò cum posterioribus.

Secundò, Pseudoapostoli urserunt doctrinam illam in casu iustificationis, & in eo non secerunt rectè. Si fecissent extra casum iustificationis, non potuissent reprehendi, seruatis tamen seruandis. Eo enim modo Christus & Apostoli de bonis operibus loquuntur.

CXI.

Lutherus prædixit secutura delíria in materia operum. F. 6.

Ergò

Ergò ista doctrina non rectè urgetur.

RESPON.

Ista prædictio pertinet ad delirantes, non ad rectè trademtes. Nos rectè tradimus & quidem ita, ut ipsissimis Lutheri uestigijs insistamus, κατὰ τὸ ῥητὸν καὶ τὴν διάνοιαν: Delirantium autem nomen pertinet ad Interimistas, ad Antinomos, et ad omnes qui sunt similes istis.

CXII.

Lutherus ait, Christianum in fide manentem non habere opus doctore bonorum operum. F. 6.

Ergò non opus est admonitione.

RESPON.

Antecedens est uerum de casu fidei ardentis: sed sæpè est languida fides. In priori non admodum opus est admonitione, sed in posteriori est opus.

CXIII.

Lutherus ait, credentes facere omnia sponte. F. 6.

Ergò non opus est admonitione.

RESPON.

Promptitudo credentium non abrogat officia ministerij. Ministri uerbi debent monere Ecclesiam, siue homines faciant promptè siue non faciant: Et illæ ipsæ admonitiones non nocent promptitudini credentium, imò & confirmant & augent eam. CXIIII.

Paulus ait, Omnia esse libera, ubi est Spiritus Christi. F. 6.

Ergo bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Antecedens debet intelligi de libertate Christiana, non de Antinomica, uel Enthusiastica, uel Antichristiana, de qua loquuntur Pseudoapostoli, Simon Magus, Menander, Gnostici, Antinomi, Enthusiastæ, Libertini & ueri Adiaphoristæ. CXV.

Lutherus ait, fidem non ferre alligationes ad opera. F. 6.

Ergo bona opera non sunt necessaria.

RESPON.

Primùm, Lutheri dictum oportet intelligi de casu iustificationis. Alioqui extra casum iustificationis oportet illa coniungi, sicut arbor & fructus, Sol & lux &c. Ita & Paulus

coniungit

coniungit in Romanis & Galatis, sicut constat ex dispositione. Item 1. Timot. 1. Retinens fidem & bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragium fecerunt.

Secundò, in textu Lutheri continuò sequitur: Nec patitur sibi adimi opera. Hæc pars est correctio prioris. Vult igitur medium seruari: Et eatenus pertinet illud dictum ad nostræ sententiæ comprobationem.

.CXVI.

Lutherus confert actiones credentium cum actionibus coniugum mutuò se diligentium & sibi fidentium, & ait, illis non opus esse admonitione. F. 6.

Ergò nec credentibus opus est admonitione.

RESPON.

Primùm, Lutherus loquitur ibi de actu ardentis dilectionis & fidei: Et eatenus concedituridem etiam de credentibus suo modo. Sed accidit interdum languor aliquis in utroq; genere. Et eo nomine sæpè opus est admonitione.

Secundò, quòd si maximè fierent omnia illa in coniugio, tamen hoc non præiudicaret officijs ministerij. Præcepta & admonitiones uerbi di-

uini manent uniuersaliter, & pertinent ad omnes. Illa igitur nihilominus debent sonare. Et faciunt partim ad excitationes maiores, partim ad confirmationes.

CXVII.

Lutherus ait, Christum ipsum omnia tulisse, sed legis obiectionem & alligationem ad eam ferre non potuisse, etiamsi interdum non omnino futilia obijciebantur. F. 7. Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Primùm loquitur ibi Lutherus principaliter de casu conuersionis & iustificationis; quia citat exemplum de conuersationibus Christi cum peccatoribus, quos uolebat conuertere. In illo etiam casu rectè hoc dicitur de Christo. Extra uerò eum non est uerum: quia Christus ipse repetit & inculcat legem. Imò manifestè de se dicit, Nõ ueni soluere legem: Item hæc oportuit facere, & illa non negligere: Misericordiam uolo, non sacrificium.

Secundò, si referatur ad casum obedientiæ, in eo necesse est intelligi de coactione: quia eo-

dem

dem in loco dicitur de Christo, quòd noluerit facere, ad quæ cogebatur, & quòd ibi fuerit omnium maximè rebellis, ubi actum cum ipso fuit ui uel coactione.

Tales uerò casus seiuncti sunt à nostra sententia, & quidem natura propositionis secundum communem usum intellectæ. Deinde & nos expressè seiungimus, sicut sæpè dicitur in scriptis Melanthonis & aliorum. Non agi à nobis in ista materia nec de iustificatione, nec de coactione.

CXIX.

Lutherus ait, Christianos ratione Euangelij non expectare, donec ueniat lex. G. I.

Ergò non rectè dicitur de bonorum operum necessitate.

RESPON.

Primùm, ista promptitudo Christianorum in agendo non tollit necessitatem: quia nulla est pugnantia inter agere ex debito, & agere promptè: imò uerò & possunt & debent coincidere. Accipientes mutuum tenentur de solutione, & non tantùm tenentur, uerùm etiam debent eam promptè præstare, & nonnulli fa-

ciunt etiam illud. Ideoq; sæpè dictum est, Ipsum spontaneum deberi Deo.

Secundò, necessitas nouæ obedientiæ, non tàm ex lege, quàm ex Euangelio dependet: Et ipsa obedientia noua debetur non tàm ratione legis quàm Euangelij: Quare? quia est pars pœnitentiæ, quam non lex, sed Euangelium à nobis requirit.

CXX.

Lutherus ait, Christum coactum ne leuissima quidem facere uoluisse. G.1.

Ergò bona opera non sunt necessaria.

RESPON.

Repetatur, quod sæpè dictum est de coactione & de scopo & fine nostræ propositionis.

CXXI.

Lutherus ait, Christianos & iustificatos non esse præceptis cogendos, sed admonendos, ut libenter faciant, quæ sunt facienda. G.2.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

Respon.

RESPON.

Primùm, Nos non agimus de coactione, de qua loquitur antecedens.

Secundò, ex eo, quod de admonitione & de faciendis dicitur, potest argumentum istud inverti. Nam si sunt quædam facienda, & si sunt ad illa Christiani admonendi, oportet ea certè præstari. Hoc quid est aliud, quàm ipsam constituere necessitatem?

Tertiò, ex isto dicto Lutheri potest euidens depromi argumentum contra superiores de admonitione obiectiones. In talibus discenda est regula, Locutiones Lutheri figuratæ semper intelligendæ sunt cum collatione regularium & simplicium locutionum.

CXXII.

Lutherus ait, lege & comminationibus neminem fieri alacrem ad opera bona. G. 2.
Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Primùm, in antecedente est opus aliqua correctione, uel restrictione. Etiamsi lex & comminationes legis non faciant ad alacritatem, ta-

men suo modo prosunt ad excitationem. Nam ideò docetur lex, ut excitentur homines partim ad agnitionem peccati, partim ad commonefactionem de uirtutibus placentibus Deo.

Secundò, in consequentia nulla est ratio connexionis. Quia perinde est, ac si dicas: Lex non facit homines alacres ad opera bona. Ergò bona opera non sunt necessaria. Id ideò non valet: quia multa sunt necessaria, quæ tamen non faciunt ad alacritatem: Et econtrà multa non faciunt ad alacritatem in bonis operibus faciendis, & nihilominus sunt necessaria, ut, edere, bibere, dormire, agnoscere peccata, dolere de peccatis.

CXXIII.

Lutherus interpretatur dictum Christi, Vnum est necessarium, de solo auditu uerbi & fidei. G. 3.

Ergò bona opera non sunt necessaria.

RESPON.

Lutherus respicit ibi ad casum iustificationis, ad res necessarias ad salutem. Id uerum esse testantur uerba Lutheri in eodem textu continuò sequentia ut sunt: **Christus redet hie von der not/ da alle Welt von redet/ und**

mò fraget/Lieber was ist not zur seligkeit? *Hoc modo nobis non tantùm non obest interpretatio Lutheri: uerùm etiam prodest & ad sententiæ nostræ confirmationem suo modo facit.*

Idem autem dictum solet interdum generaliter intelligi de alijs etiam actionibus. Inde sunt istæ ueteres locutiones: Vnum est necessarium, scilicet iugiter adhærere Deo. Item, Vnum est necessarium, sed tendentibus ad illud unum multa sunt necessaria.

CXXIIII.

Veteres Doctores non sunt usi uocabulo Necessarij in ista materia. G. 4.

Ergò non rectè dicitur, quòd bona opera sint necessaria.

RESPON.

Primùm, Antecedens non est uerum: Ac possent opponi exempla non pauca, de quibus in testimonijs meis latinis.

Secundò, Nonnulli ex ueteribus, etiamsi non sunt usi hoc uocabulo, tamen sunt usi æquipollentibus, sicut apparet ex testimonijs meis latinis. Constat autem de æquipollentibus idem esse iudicium.

Tertiò, quòd si uel maximè nec ista nec æquipollentibus usi essent, tamen solius uerbi diuini, in quo crebrius aliquantò repetitur, tanta est autoritas, ut reprehendi non possit. Quid quòd in recentioribus orthodoxis, quorum autoritas non est contemnenda, sæpissimè reperiatur?

CXXV.

Veteres usi sunt in ista materia alijs phrasibus magis propríjs. G. 5. Ergò uocabulum Necessarij non est usurpandum.

RESPON.

Primùm, quod de alijs phrasibus dicitur, in eo fuisset opus earum commemoratione. Sed hoc non fit in textu.

Secundò, antecedens illud perinde sonat, ac si Necessarij uocabulum non esset satis proprium. Sed hoc non est uerum, si modò grammaticè & dextrè de uocabulo iudicetur.

Tertiò, De æquipollentibus est idem iudicium. Ergò si cognatæ phrases sunt licitæ, excludi certè nec hoc uocabulum potest.

CXXVI.

Lutherus in tractatione operum uerè bonorum

bonorum abhorruit ab hac uoce.

G.5.

Ergò uocabulum istud non est usurpandum.

RESPON.

Nonne pudet te talia de Luthero profere? Ego econtrà dico, Lutherum & in Germanicis et in Latinis ista appellatione sæpissimè usum esse, & probo hoc testimonijs meis germanicis & latinis.

CXXVII.

Lutherus tantùm usus est illo uocabulo in suo foro pro uoce legis contra securos, impios & abutentes libertate Euangelica. G.5.

Ergò uocabulum necessarij non est ad hanc materiam transferendum.

RESPON.

Primùm, quod de uoce legis dicitur, id non est uerum. Lutherus est usus isto uocabulo non tantùm in materia legis, uerùm etiam in materia partium pœnitentiæ. Inde sunt istæ locutiones, Tota pœnitentia est necessaria, contritio est necessaria, Fides in Christum est necessaria,

ria, Noua obedientia est necessaria, Eodem modo utitur eo Scriptura, Vnum est necessarium, Patientia est necessaria, Necessitas mihi incubit.

Secundò, Quod de securis & impijs additur, nec illud est uerum. Et potest primis hoc exemplum opponi, quod extat in prefatione noui Testamenti: Der Gleubige wird durch den Glauben gerecht / lebendig vnd selig / vnd ist jm nicht mehr NOT / denn das er solchen Glauben mit wercken beweise. Extant & alia non pauca, quorum quædam retuli in Catalogum testimoniorum.

Tertiò, Non dubium est, omnes homines debitores & obligatos esse Deo: Nec dubium est, omnes homines opus habere admonitionibus & excitationibus. Nec dubium est, admonitiones uerbi diuini uniuersales esse. Ergò rectissimè dicitur, quòd pertineat uox illa ad hanc de noua obedientia doctrinam.

CXXVIII.

Vocabulum Necessarij confundit legem & Euangelium, commiscet fidem & opera. G. 5.

Ergò non est ferendum.

Respon.

RESPON.

Antecedens est manifestißimè falsum, regulariter & per se loquendo. Nam ratione ipsius uocabuli per se nulla fit confusio & commixtio istarum rerum. Si uerò respicit ad totam de necessitate bonorum operum propositionem, nulla fit nec eo modo confusio: imò uerò contrarium accidit, seruata iusta distributione. Nam cùm dico ad renatum, Postquàm remissa tibi sunt peccata, iam oportet te etiam facere opera gratiæ, ibi eo ipso distinguitur inter fidem & opera.

CXXIX.

Locutio illa de bonorum operum necessitate est orta ex Interim. G. 5. Ergò non est ferenda.

RESPON.

Si respicis ad propositionem de necessitate bonorum operum sine appendice, ad salutem, id adeò non est uerum, ut possit impudentißimum mendacium uocari. Nam ista talis propositio reperitur in multis libris scriptis & editis ante illam Interimisticæ Chimeræ confectionem.

Si uerò respicis ad alteram locutionem de necessitate ad salutem, iam etiam non est uerum, quia constat ante Interim de ea disputatum esse.

Locu-

CXXX.

Locutio illa de necessitate bonorum operum, etiamsi omittatur appendix ad salutem, tamen per se includit meritum & appēdicem istam. G. 5.

Ergò non est usurpanda.

RESPON.

Antecedens est falsum: quia aliud est mereri, aliud est necessarium esse. Multa sunt necessaria, quæ tamen non sunt meritoria. Deinde aliud etiam est esse necessarium ad salutem, & aliud est esse necessarium sine appendice ista. Ideoq; rectè à Luthero dicitur, Multa sunt necessaria, quæ tamen non sunt necessaria ad salutem.

CXXXI.

Ista propositio pingitur falsis & adulterinis coloribus & interpretationibus. G. 5.

Ergò non est ferenda.

RESPON.

Si respicis ad orthodoxam propositionem, quam nos, qui sumus Augustanæ confessionis, defendimus,

dimus, prorsus non possumus tibi concedere ccedens, nisi monstres colores illos. Alioqui is de nullis adulterinis coloribus conscij su- Quòd si maximè adderentur tales colores: en fieret illud non per se, sed per accidens, uicio propositionis, sed hominum malè ac- modantium. Tales uerò abusus non præiu- cant ueræ propositioni, sicut usitatè dicitur: buſus rei non tollit substantiam rei.

CXXXII.

la propositio nudè posita est instar Atlantis & magni Christophori, cuius beneficio multa tegantur & defendantur mala, G. 6. go non est ferenda.

RESPON.

Ex uerbis apparet, antecedens respicere d orthodoxam propositionem. Sed eatenus est illud impudentissimum mendacium. Imò est blasphemia in sacram Scripturam, & con- cium in Augustanam confessionem, & mnes, qui doctrinam istam inculcant.

Talia

Talia certè non essent in Christianismo, si saperemus & uero Dei zelo arderemus, ferenda.

CXXXIII.

Ratione istius propositionis posset aliquorum in Ecclesia Doctorum fieri oppugnatio & oppressio, G. 6.

Ergò non est ferenda.

RESPON.

Distinguendum est inter Doctores rectè sentientes & non rectè sentientes, inter orthodoxos & Antinomos. Rectè sentientium nulla fit eo nomine oppressio, Sed de Antinomis, Libertinis, Enthusiastis, & ueris Adiaphoristis potest hoc concedi. Ac optandum esset, ad oppressionem istorum, tanquàm ad publicum incendium, passim unanimiter concurri. Propter istos igitur non est necesse præiudicium aliquod fieri in sana & usitata doctrina.

CXXXIIII.

Ista propositio nudè posita erit occasio ad tollendam doctrinam fidei & iusticiam operum in Ecclesiam reuocandam, G. 6.

Ergò non est ferenda. Respon.

RESPON.

Antecedens per se loquendo non est uerum. Aliud enim est loqui de iusticia fidei, & aliud est loqui de noua obedientia uel bonis operibus. Ista duo genera ipsa, quasi natura differunt à se mutuò, sicut arbor & fructus, ut alia preteream: Et traduntur etiam in scriptis nostrorum hominum distinctißimè. De Luthero constat, quòd doctrinam fidei, & iusticiæ fidei rectißimè tradiderit. Interim tamen hanc quoq; doctrinæ partem retinuit atq; adeò inculcauit. Idem de Augustana confessione & alijs orthodoxis, qui doctrinam fidei rectißimè tradiderunt, abundè constat. Quomodo potest igitur ad tanta discrimina occasio esse? Si tamen per accidens fiat aliquid, quid hoc ad corpus doctrinæ? Fiat iusticia, & pereat mundus: Retineatur quod rectum est, & relinquatur abusus illis, qui delectantur abusu, sed prohibeatur tamen, quantum quidem potest.

CXXXV.

Ista materia potest melius tractari.

G. 3.

Ergò propositio illa de bonorum operũ necessitate non est ferenda.

RESPON.

Quomodo potest melius? Cur non ostendis illud? An non satis benè dicitur, quod in uerbo Dei dicitur, & quod in cònfessione Augustiana cæterisq; Authenticis reperitur scriptu? Huic homini usu uenit, quod solet, quando nouis studetur rebus, ut uidelicet non intelligant homines, quo delabantur.

CXXXVI.

Nulla est necessitas usurpationis istius uocabuli. G.6. Ergò uocabulum Necessarij non est ferendum.

RESPON.

Nullane necessitas? Imò magna & multiplex. Primùm, uocabula Scripturæ necesse est retineri, & quidem etiam ad imitationem trahi. Secundò necesse est idem fieri in uocabulis toti Ecclesiæ communibus: Tertiò opus est quotidiana admonitione: Quartò opus est defensione usitatorum uocabulorũ et locutionum contra calumniatores & oppugnatores. Qua igitur fronte dicis, nulla nos adduci ad uocabuli istius usurpationem necessitate?

Vocabu

CXXXVII.

Vocabulum Necessarij est nothum & inusitatum. G. 6.

Ergò non est ferendum.

REPON.

Antecedens non est uerum, sicut apparet ex testimonijs meis germanicis & latinis.

CXXXVIII.

Non rectè dicitur, Fructus boni sunt necessarij ad arborem bonam, fumus est necessarius ad ignem, effectus est necessarius ad causam efficientem.

Ergò uocabulum Necessarij prorsus non ualet in hac materia.

RESPON.

Primùm proceditur hîc à particulari ad uniuersale. Id satis est paucissimis monere. Alioqui res ipsa est ad dijudicandum facilima.

Secundò, aliud est esse necessarium ad constitutionẽ rei, & aliud est esse necessarium post rei constitutionem. In antecedente agitur de priori casu, in consequente de posteriori: Ita proceditur etiam à non distributo ad distributum.

CXXXIX.

Vocabulum Necessarij posset quidem palliari & glosis ornari: Sed est periculosum. G. 6.

Ergò non est ferendum.

RESPON.

Primùm, non opus est palliatione, cùm uocabulum illud per se sit perspicuum & usitatum in illo genere.

Secundò, propriè loquendo nihil est periculi in glosis conuenientibus & ordinatis: sed sunt potius maximoperè utiles & coniunctæ cum summis emolumentis. Alioqui, si nullus est locus explicationibus dandus, ubi manebunt commentatores Bibliorum?

CXL.

Ista propositio est Papistis occasio malè de nobis loquendi & tumultuandi. G. 7.

Ergò non est ferenda.

RESPON.

Antecedens per se loquendo non est uerum. Ista propositio fuit in nostris Ecclesijs à tempore Lipsicæ disputationis, sicut ex Luthero apparet, & adhuc est in usu: Nihilomin-

nus

non constat de gaudio ipsorum, quoad illam propositionem.

Quòd si maximè fieret aliquid per accidens, & ex peruersa interpretatione, quid id nostra? Satis nobis est, doctrinam nostram esse veram, quoquo modo ab alijs accipiatur. Constat enim de genere doctrinæ tantùm iudicandum esse ex verbo Dei, & non ex aliorum vel calumnijs vel applausu.

CXLI.

Papistæ sumunt hoc vocabulum in alia significatione, quàm nostrates. G. 7.

Ergò non est ferendum.

RESPON.

Quid nobis cum Papistica interpretatione? Satis nobis est, si nos rectè loquamur & doceamus. Nec est necesse nobis, ut ex aliorum interpretationibus vel diuersis vel peruersis iudicemus. Solum verbum Dei debet esse lucerna pedibus nostris & norma doctrinæ.

CXLII.

Papistæ interpretantur vocabulum Necessarij de causa efficiente, sine

qua non, instrumentali, formali & materiali. G. 7.

Ergò non est ferendum.

RESPON.

Primùm, est uicium aliquod in antecedente. Non defendo Papistas: Sed hoc tamen ubi sit in libris eorum, ignoro.

Secundò, si maximè facerent illud, quid ad nos? Si uolunt insanire Papistæ, insaniant sanè, modò nobis sit doctrina nostra incolumis & salua.

CXLIII.

Idem uocabulum etiam à pijs in ista significatione accipitur in materia bonorum operum. G. 7.

Ergò non est ferendum.

RESPON.

Non satis intelligo, ad quos pios respiciat. In Luthero, Melanthone, & reliquis Orthodoxis non inuenio exempla, quod quidem ad illam attinet propositionem, quam nos defendimus. Alioqui de Antinomis constat, quòd talem aliquam interpretationem finxerint, & publicè proclament. Sed in hac ipsa tamen sibi ipsis nõ constant, cùm aliàs eam de coactione & de merito interpretentur.

Si tamen sunt aliqui ex pijs, qui uidentur eò inclinare ex persuasionibus Antinomorum, illi possunt & debent rectius informari, & de ueriori sententia moneri.

CXLIIII.

Vocabulum Necessarij sua natura includit meritum, etiamsi glosæ excludant. G. 7.

Ergò non est ferendum.

RESPON.

Antecedens est simplicißimè falsum. Multa sunt necessaria, quæ tamen nec sunt meritoria, nec possunt ad meriti rationem accommodari. Contritio est necessaria: Restitutio rei ablatæ est necessaria: Necesse est obedire Magistratui: Edere, dormire, bibere sunt necessaria. Sed quid habent hæc cum isto merito, de quo agitur in argumento, commune?

CXLV.

Christus regit uoluntatem piorum, quæ per gratiam eius hilariter & libenter obedit, gratuitòq; seruit. G. 8.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

De hoc argumento iudicari potest ex superioribus, cùm sententia illa sit aliquoties repetita.

CXLVI.

Vocabulum Necessitatis non potest efficere in sanctis, ut audito eo statim ex suis uiribus in opera legis accingantur. H. 2.

Ergò non opus est illo uocabulo.

RESPON.

Hìc nulla est connexionis ratio. Ac possunt instantiæ dari in contritione & fide, hoc modo. Vocabulum Necessarij non potest efficere, ut homines ex suis uiribus doleant de peccato, & credant in Filium Dei. Ergò non opus est illo uocabulo, nec rectè dicitur, Contritio est necessaria, Fides est necessaria. Hic quiuis iudicare de consequentiæ futilitate potest.

CXLVII.

Bona opera non fiunt, nisi hilari, uolente & gaudente corde fiant, id est, spiritu libertatis. H. 3. Er-

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Sæpè dictum est, illud ipsum hilare & uolens necessarium esse. Sed repetantur superiora, quæ in similibus argumentis sunt dicta.

CXLVIII.

Quæ fiunt cogente litera, absente lege Spiritus, ea sunt carnalia & literalia: Quæ uerò fiunt præsente lege Spiritus, illa sunt spiritualia. H. 3.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Antecedens propter figuratam sermonis rationem, quæ non decet in argumentis, non caret ambiguitate, ut possit per Amphiboliæ fallaciam confutari. Sed omissis istis repetatur discrimen de coactione & de debiti necessitate. Inde enim efficietur, nullam esse connexionis rationem.

CXLIX.

Necessitas illa exigit aliquid à carne & humanis uiribus, quod tamen est Spiritus sancti. H. 4.

Ergò non rectè dicitur de bonorum operum neceſsitate.

RESPON.

In antecedente non rectè dicitur de neceſsitate, quod exigat aliquid à carne. Nam doctrina illa de bonorum operum neceſsitate exigit obedientiam ab ipſo renato, quòd debeat & ipſe obedientiæ opera facere, & ueterem etiam Adamum coërcere. Inde ſunt et illa dicta: Expurgate uetus fermentum, ut ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis Azymi: Luceat lux ueſtra: Liberati à peccato, ſerui facti eſtis iuſticiæ.

CL.

Neceſsitas illa confundit actiones Spiritus cum actionibus humanis. H. 4.

Ergò non rectè dicitur de bonorum operum neceſsitate.

RESPON.

Antecedens prorſus eſt falſum: Nam cùm dicitur ad renatum, Iam oportet te etiam benefacere proximo, ibi admonetur renatus de ſuo officio. Et tamen ea admonitione nihil adimitur Spiritui ſancto. Deinde ſi antecedens illud uerum eſſet, ſequeretur etiam in ſacra Scriptura non rectè uo-

etè uocabulum Neceßitatis uſurpari. Non carent igitur abſurditate, quæ in antecedente commemorantur.

CLI.

Error eſt per opera legis præſumere iuſticiam. H. 4.

Ergò bona opera non rectè dicuntur neceſſaria.

RESPON.

Primùm diſtinguendum eſt inter opera legis & gratiæ, ſicut & Lutherus diſtinguit. Secundò diſtinguendum eſt inter præſumptionem iuſticiæ & neceßitatem bonorum operum. Ex illis diſtinctionibus ſumitur iudicium de conſequentia, quæ nihil habet firmi.

CLII.

Per neceſſariam illam obedientiam nõ implemus legem, ſed dilectione fidei tantùm impletur. H. 4.

Ergò noua obediẽtia ſeu bona opera non rectè dicuntur neceſſaria.

RESPON.

Primùm, in antecedente eſt contradictoria, ſicut apparet, ſententia. Nam illa ipſa dilectio eſt opus iſtius obedientiæ, de qua hìc diſputatur. Ergò tibijpſi contradicis. Secun-

Secundò, consequentiæ argumenti opponenda est hæc sententia, Multa sunt necessaria, quæ tamen non implent legem. Eius exemplum est in contritione, in edendo, bibendo, dormiendo.

CLIII.

Fides expugnat reliquum peccati ex carne. H. 4.

Ergò non opus est bonis operibus.

RESPON.

Talis expugnatio fidei non pugnat cum operibus bonis. Item, talis fidei actus non tollit nouæ obedientiæ necessitatem. Inde sequitur, consequentiam illam nihil habere firmi.

CLIIII.

Necessitas illa uiolenta absurdè imponitur renato & nouo homini, qui ultrò facit. H. 4.

Ergò non rectè dicitur de necessitate.

RESPON.

Antecedens loquitur de necessitate uiolenta: Consequens de necessitate debiti. Inter illa duo est manifestissimum discrimen. Ergò nulla est ibi connexio.

Renatus

CLV.

Renatus operatur & facit bene extra omnem necessitatem. H. 4.
Ergò non rectè dicitur de bonorum operum necessitate.

RESPON.

In antecedente est Amphibolia. Si intelligitur de coactione uel coactionis necessitate, sicut Lutherus loquitur, conceditur quidem: Sed est alienum ab hac disputatione. Si uerò intelligitur de debiti necessitate, concedi certè nullo modo potest propter hæc dicta: Debitores sumus: Oportet Deo obedire: Necesse est obedire.

CLVI.

Ista locutio non potest tribui nec ueteri nec nouo homini. H. 5.
Ergò non rectè usurpatur.

RESPON.

Antecedens est falsum, sicut apparet ex his exemplis: Luceat lux uestra: Vade, & noli amplius peccare: Expurgate uetus fermentum, sicut estis azymi: Milita bonam militiam: Liberati à peccato serui facti estis iustitiæ. Hæc dicta referuntur ad ipsos renatos. Et pertinent ad

totam

totam personam, ad concretum ipsum. A nouo certè Adamo seiungi non possunt. Nam nouo Adamo dicuntur illa, & ideò dicuntur, ut admoneatur de uetere regendo & coërcendo.

CLVII.

Noua obedientia semper includit libertatem Spiritus. H. 5.
Ergò non est necessaria.

RESPON.

In antecedente est fallacia Amphiboliæ. Si intelligitur de capitibus libertatis Christianæ, de quibus dicitur in Locis, nulla est de antecedente disputatio, nisi quòd nihil ad præsens faciat institutum.

Si de promptitudine, conceditur eodem modo: Sed non est satis propriè dictum: Nec facit quicquam ad præsens institutum. Aliud enim est promptitudo, & aliud est debitum: Et tamen illa promptitudo computatur in debitum.

Si uerò respicis ad libertatem ab operibus, de qua agitur in toto scripto, & qui scopus est disputationis tuæ, iam constare antecedens non potest. Talem enim libertatem non includit obedientia noua, & nihil est in Ecclesia, quod agnoscat illam.

Nouæ

CLVIII.

Noua obedientia excludit necessitatem & coactionem. H. 5.
Ergò non rectè dicitur necessaria.

RESPON.

In uocabulo necessitatis est Amphibolia. Si intelligis de coactione, conceditur quidem, sed nihil nobis cum ea in hac disputatione commune. Si de debiti necessitate, non poterit illud ab homine sano concedi.

CLIX.

Vocabulum necessitatis semper aliquid monstri alit. H. 5.
Ergò non est ferendum.

RESPON.

Primùm, Antecedenti opponi possunt exempla sacræ Scripturæ, confessionis Augustanæ & præcipuorum Doctorum orthodoxorum. Hæc igitur reprehenduntur ab illo disputatore, cùm talia proferre non uereatur.

Secundò sæpè de monstro & similibus dicitur ab istis hominibus: sed tamen non explicant, quod sit illud monstrum.

Voce-

CLX.

Vocabulum Neceſsitatis neceſſariò includit meritum. H.5.
Ergò non eſt ferendum.

RESPON.

Antecedenti opponi poteſt regula, Multa ſunt neceſſaria, quæ tamen non ſunt meritoria, præſertim in caſu iuſtificationis. Poſtea referantur hùc etiam exempla ſacræ Scripturæ, confeſſionis Auguſtanæ, & præcipuorum orthodoxorum, in quibus uocabulum illud ſine merito uſurpatur. Magna igitur impudentia eſt ſic de uocabulis nugari, & tribuere illis aliquid, quod non competit in tali præſertim caſu.

CLXI.

Vocabulum Neceſsitatis uidetur bona opera & nouam obedientiam exigere à carne & à uiribus humanis propriis. H.5.
Ergò non eſt ferendum.

REPON.

Primùm, Antecedens non eſt uerum: Nam uocabulum illud continet admonitionem pertinentem ad totam perſonam: Et admonet

non

non carnem, sed ipsum renatum, ut coërceat carnem, sicut scriptum est, Si Spiritu actiones carnis mortificaueritis, Item, Expurgate uetus fermentum, sicut estis azymi.

Secundò, posset etiam de consequentia disputari, quæ non satis est firma, & probatione indigere uidetur.

CLXII.

Pij audita hac necessitate accingumtur in opera legis, & rem legis in se ipsis quærunt, & faciendo aut præsumunt aut desperant. H. 5.

Ergò uocabulum illud non est ferendum.

RESPON.

In antecedente sunt quædam paulò obscuriora.

Primùm, quòd dicitur, pios accingi in opera legis, id si fiat ordinatè, reprehendi non potest. Nam Christus non soluit legem: Nec fides destruit eam, sed potius stabilit. Eatenus in consequentia est fallacia causæ, propterea, quòd accingi illud non tollat nouæ obedientiæ necessitatem, sicut factum unius uel ordinatum uel inordinatum non tollit regulam.

Secundò, quæ in reliquis duabus antecedentis partibus dicuntur, ea in multis & præsertim rectè institutis non fiunt. Si tamen eueniunt interdum, tantùm secundum quid, hoc est, in aliquibus fiunt, & fiunt in illis non per se, sed per accidens. Inde igitur de toto illo argumento iudicium fieri potest.

CLXIII.

Necessitas consequentiæ nulla est necessitas, nec potest nec debet ita dici. H. 5.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Primùm, antecedens est falsissimum, est nouum paradoxon, imò ipsissima absurditas. Ita non tantùm Theologis, sed etiam Philosophis bellum indicitur.

Secundò, in consequentia est similitudo quædam cum scopis dissolutis. In antecedente agitur de necessitate consequentiæ: Nos uerò non tantùm de consequentiæ, uerùm etiam de debiti necessitate disputamus.

CLXIIII.

Ipsa natura non potest ferre necessarium. H. 6.

Ergo bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Hoc ego certè de natura nec legi, nec quomodo uerum sit, intelligo. Contraria uerò exempla non pauca opponi possunt, idq; cùm ex sacris, tùm ex orthodoxis, tùm ex Philosophicis scriptis. Hæc cùm sint illustrissima, quanta est uel cæcitas uel insania seu non uidere seu insitiari.

CLXV.

Grammatici & Dialectici explodunt hoc uocabulum Necessarij. H. 6.

Ergò etiam in Theologia non est ferendum.

RESPON.

De Grammaticis & Dialecticis dicis? Sed qui sunt isti? & ubi est illud? Nisi nouos producas, non euades: Reliquos certè aiunt te impudentissimæ nugationis accusare.

CLXVI.

Propositio de nouæ obedientiæ seu bonorum operum necessitate astutè & dolosè recepta uel potius intrusa est à nouis istis Pelagianis. H.6.

Ergò non est ferenda.

RESPON.

Si uerè sic sentis, quemadmodum loqueris in antecedente, oportet te historiarum Ecclesiæ imperitissimum esse. Non dicam nunc de ueteribus: Videamus sola recentiora. Ista propositio est ab ipso Luthero usurpata in primis restaurationis auspicijs, in disputatione uidelicet contra Eccium, conrà Monachos quosdam Iutrebocenses, & tandem contra Antinomes. Eadem relata est in Augustanam confessionem, & repetitur in multis alijs Orthodoxorum scriptis. Eas nunc & dicas in Ecclesiam à nouis Pelagianis, quales tamen nos non esse abundè constat, intrusam.

CLXVII.

Quod Christus & Apostoli non docuerunt, id iure damnatur. H.7.

Christus & Apostoli non docuerunt de

de bonorum operum necessitate.

Ergò &c.

RESPON.

Non dicam nunc de consequentia, de qua posset aliquid moueri: sed Minorem asserimus falsissimam esse, propter testimonia alibi recitata.

CLXVIII.

Argumenta defendentium necessitatem sunt imbecillia, & possunt facilimè confutari. G. 7.

Ergò illa doctrina non est ferenda.

RESPON.

Non dicam de imbecillitate, sed de tuis confutationibus disertè assero, quòd in illis multa sint uicia.

In primi argumenti confutatione tres committuntur fallaciæ. Primùm malè assumis uerba: quia in argumento dicitur de præceptis, in tua responsione dicis de expositionibus legis. Secundò committis fallaciam secundum quid, quia sumis unum exemplum, in quo potes tuo more ludere, interim alia] præteris, quæ minus possunt eludi: ut mandatum nouum do uobis.

Secundi argumenti confutatio ualdè est futilis, & constat his uicijs: Primùm non est sufficiens, quia ad probationem antecedentis nihil respondes. Secundò dicis illam propositionem recens esse introductam, quod non est uerum. Tertiò, non rectè accommodas distinctionem scandali. Quartò, statum etiam transferre studes, in quo sua quædam est fallacia.

Tertium argumentum uidetur à teipso effictum esse. Confutatio uerò eius nec est formalis nec materialis pro conditione istius argumenti. Multa dicis de necessitate legis, de inutilitate literæ legis, de efficacia legis fidei. De his omnibus nihil dicitur in argumento, imò ne quidem alluditur ad illa.

Quartum argumentum uidetur eodem modo à te excogitatum esse. Responsio uerò tua eò tendit, quòd ne quidem necessitate consequentiæ noua obedientia fit necessaria, in quo absurditas est non leuis.

Quinti argumenti confutatio est, quòd non sit iudicandum ex communibus Doctorum sententijs & explicationibus. Hæc sine discrimine dicun-

dicuntur. Ideoq; concedi præsertim suspecto & periculoso nec possunt nec debent.

Hæc igitur sunt argumenta Musculi in priori parte. Illis uerò, sicut apparet, nondum est oppugnatio facta, nec est earum robur tantum, ut in oppugnatione consistere posse uideantur.

TERTIVS LIBER.

IVDICIVM DE SECVNDA PARTE.

ABsoluta priori disputatione, meum etiam scriptum de nouæ obedientiæ & bonorum operum necessitate aggreditur. Itaq; non satis ei fuit usitatissimam Ecclesiæ doctrinam ab ipso Deo patefactam, & in uerbo Dei sæpè repetitam, & in communissimo totius Ecclesiæ usu sedulò conseruatam in genere oppugnare, nisi me quoq; inuadcret separatim.

In hac uerò oppugnatione mirabiliter se gerit. Primò, sæpè totis paragraphis meis pro suis utitur. Secundò, in illis, quæ palato ipsius non sapiunt, non tàm confutationem, quæ propriè sic dicitur, & qualis decet in disputationibus mutuis, quàm correctionem instituit, perinde ac si non ut disputator, sed ut Minos aliquis aut Rhadamanthus, aut Aristarchus mihi opponeretur. Tertiò, in illis ipsis correctionibus mirificæ sunt excarnificationes, deprauationes, corruptelæ, sophismata & calumniæ cùm in doctrinam usitatam, tùm in Augustanam confessionem & Apologiam. Sed hæc & similia magis magisq; conspicua fient ex ipso, qui sequitur, contextu.

I. PARS.

DE CASTIGATIONIBVS EIVS.

I. Castigatio.

IN explicatione mea scripseram ego, nimium adimi bonis operibus à nonnullis contra Scripturam.

Aduersarius meus nimium eis adimi secundum Scripturam, dicit.

Meam

Meam sententiam defendunt mandata Dei de bonis operibus, admonitiones Apostolorum ad opera bona, promissiones præmiorum & commendationes operum bonorum. Hæc omnia sunt in sacra Scriptura, quod tàm est manifestum, ut non sit opus amplificatione.

Viderit igitur Declamator iste, quo iure tribuat sacræ Scripturæ, quòd nimium operibus bonis adimat, cùm certum sit, quòd doctrina de obedientia noua & operibus bonis sit una pars corporis doctrinæ cœlestis, & pars aliqua uitæ Christianæ.

II.

In meo Scripto dicitur de nimium adimentibus, quòd uocentur à recentioribus Antinomi. In eo secutus sum disputationes & iudicia Lutheri, Melanthonis & aliorum, quæ extant in scriptis ipsorum.

Antagonista uerò meus ait, eos falsò Antinomos uocari. Ergò reprehendit censuras Lutheri, Melanthonis, & multorum Doctorum. Id quàm sit pium & quàm salutare in Ecclesijs nostris, alijs iudicandum relinquo.

III.

Ad eundem ordinem, in quo nimium adimuntur operibus bonis, retuli ego Simonem Magum. Id ideò factum est, quia in descriptionibus de Simone Mago expressè dicitur, quòd in bonis operibus constituerit non necessitatem, sed libertatem, & quòd debitum bonorum operum uocauerit seruitutem iniustam. In hanc sententiam sunt quædam apud Irenæum & Theodoretum. Sed hæc Simonis dogmata sunt ab Ecclesia tanquàm hæretica, qualia reuera sunt, explosa.

In castigationibus aduersarij mei omisso Simone Mago, substituuntur Spiritus sanctus & omnes Orthodoxi. Ergò Simon Magus secundum ipsum non peccat in ista parte. Quare? Quia & iste docuit bonorum operum libertatem. Et rursus, Spiritus sanctus & orthodoxi nimium adimunt operibus bonis secundum eundem.

Sed hæc profectò non carent blasphemijs & calumnijs. Nam de Spiritu sancto constat, quòd requirat opera bona, quòd excitet homines ad illa, quòd remuneret ea. De orthodoxis constat, quòd hortentur homines ad opera bona, quòd prædicent ea, & quòd ipsi quoq; uacent illis, quantum

quantum in hac naturæ infirmitate fieri potest. Id qui uel ignorant, uel negant, ipsam Scripturam sacram, & scripta orthodoxorum ne quidem gustasse uel à limine salutasse uidentur.

IIII.

Ad eundem ordinem retuli ego Pseudoapostolos, Manichæos, Epicureos, securos, ocioſos, ignauos, prophanos, superbos, μισέργους καὶ ἐργομάχους. In appellatione Pseudoapostolorum respexi ad illos Pseudoapostolos, qui ratione gratiæ reijciebant operum bonorum necessitatem, contra quos multa sunt ab Apostolis disputata: Et extant quædam Rom. 3. 1. Tim. 1. In Epistolis Petri, Iohannis, Iudæ, Iacobi. In appellatione Manichæorum respexi ad ipsorum τερατολογίας & deliria, de lege & de proximi dilectione, de quibus Augustinus scripsit. De reliquis nominibus facilimè potest à quauis mediocriter attento iudicari.

Aduersarius meus ait eos falsò sic uocari. Ergò uindicat illos ab isto erroris genere, quod tamen ualdè mirum est, & cum summa absurditate coniunctum.

V.

In tertio ordine Doctorum, qui de bonis operibus docent, collocaui eos, qui medium ſeruant; ita, ut nec tribuant nimium nec adimant nimium.

Id Caſtigator meus his uerbis inuertit: Alij hæc conuicia philoſophica effugere uolentes, ſeruant medium, confundentes opera legis & gratiæ, ita tamen, ut nec nimium tribuere uideantur legi, nec adimere nimium gratiæ, ſed ita, ut tribuant utrisq;, quam Scriptura non tribuit illis, neceſsitatem, & adimant utrisq;, quam non adimit his Scriptura, libertatem, εὐσεβείαν & ipſum Spiritum ſanctum.

In his multa ſunt inepta, imò potius falſa & calumnioſa. Primùm ſeruantibus medium in doctrina de bonis operibus tribuit confuſionem legis & gratiæ, quod non eſt uerum. Secundò, de ijsdem dicit, quòd nec nimiũ tribuant legi, nec nimium adimant gratiæ, ſed id non caret ſophiſmate & peruerſa interpretatione, cùm aliud ſit loqui de obedientia noua, & aliud ſit loqui de lege & gratia, ſeruata uidelicet iuſta diſtributione. Tertiò de ijsdem dicit, quòd tribuant legi & gratiæ neceſsitatem, & adimant eis libertatem,

tem, εὐδοκίαν & Spiritum sanctum. Sed hoc ipsum etiam est & calumniosè & mirabiliter dictum. Quartò, legi adimit necessitatem, & tribuit ei libertatem, εὐδοκίαν & Spiritum sanctum. Ista prorsus sunt absurda, imò impia & blasphema, in ista præsertim sententia uel respectu.

Tanta igitur deliria in ista castigatione quantumuis breui continentur.

VI.

Ad ordinem illum tertium retuli ego orthodoxos. Nam de illis certum est, quòd in ista materia seruent medium inter Antinomos & Papistas, inter Manichæos & Pelagianos, inter utrumq; genus Pseudoapostolorum, inter securos & hypocritas, inter Epicureos & Pharisæos.

In aduersarij scripto referuntur eò salutamentarij necessitatis bonorum operum (sic enim loquitur) Mahometistæ, Philosophi & alij, οἳ ὀρθοτομοῦντες τὸν λόγον τῆς ἀληθείας. Ergò isti secundum castigatorem meum seruant medium in doctrina de bonis operibus: O te malè de talibus cogitantem.

De

De salsamentarijs necessitatis bonorum operum dicis. Is nouus est loquendi modus: Et pertinet ad regulam, Fingentes res nouas etiam locutiones nouas fingunt. Fortasse respicis ad illas ueteres delicias & interpretationes, Das Muhs ist versaltzen/ de quibus extat narratio in responsionibus Melanthonis contra Bauaricos articulos. Ea ratione Salsamentarios tuos oporteret esse Lutherum, Melanthonem, & alios Orthodoxos retinentes uocabula debere & oportere, quæ Apophthegmate isto reprehenduntur.

Annumeras illis Mahometistas & Philosophos. Id ualdè mirum est, cùm istis hominibus de bonis operibus, quæ propriè & Theologicè sic dicuntur, ne tantillum quidem constet. In eo igitur exemplum quoddam est uel inscitiæ uel maliciæ tuæ.

Addis præterea eos, qui non rectè secant sermonem ueritatis. Ergò non rectè secantibus sermonem ueritatis tribuis, quòd seruent medium in illa bonorum operum materia. Eo uerò quid potest esse dici? magis absurdum?

VII.

Mea uerba sunt: Oportet hominem in hac materia

materia uel hypocritam uel Epicureum uel uerum Christianum esse. Hanc distributionem ueram esse tota testatur experientia, & multæ piorum hominum commonefactiones.

Castigatoris uerò uerba sunt: Oportet hominem in hac materia uel hypocritam uel Christianum uerum uel neutralem esse, id est, neq; calidum neq; frigidum, mixtum, impurum, trahentem iugum cum infidelibus, simulatorem utriusq; partis.

Inde apparet, Epicureos & securos apud istum scriptorem non esse in catalogo eorum, qui sunt in materia nouæ obedientiæ reprehendendi. Deinde & illud apparet, quòd discernas inter hypocritã & simulatorem utriusq; partis, quem tu neutralem uocas, cùm tamen talis simulator sub hypocritarum nomine alibi solcat comprehendi.

VIII.

Mea uerba sunt: In eadem materia oportet hominem esse uel Papistam uel Antinomum uel Lutheranum. Ea distributio sumpta est ex disputationibus Lutheri in ista materia, in qua ita se gerit, ut disputet uel contra Papistas nimium operibus tribuentes, uel contra Antinomos nimium operibus adimentes.

Ad

Aduersarij uerò mei castigatio est: In eodem materia oportet hominem esse uel Papistam uel neutralem uel Lutheranum.

Inde apparet, Antinomos, quos à castigatione excludit, non esse apud ipsum in catalogo eorum, qui sunt in hac materia reprehendendi: In illorum autem locum cùm substituat neutrales, sequitur, Antinomos secundum ipsum neutrales esse, hoc est, sicut ipse paulò ante interpretatus est, neq; calidos neq; frigidos, mixtos, impuros, trahentes iugum cum infidelibus, simulatores utriusq; partis.

IX.

Mea sunt: De Luthero constat, quòd seruauerit mediam illam uiam inter Antinomos & Papistas.

Castigatoris uerba sunt: De Luthero constat, quòd seruauerit non mediam hanc neutralem, sed ueram & Christianorum synceram uiam.

Ergò secundum ipsum non seruauit Lutherus mediam uiam inter Antinomos & Papistas.

Præterea mediam uiam inter duas malas uocat ipse neutralem uiam, cùm tamen ipse Christus iubeat neq; ad dextram, neq; ad sinistram declinare.

declinare. Insuper etiam media uia inter dexteram & sinistram non est ei uera Christianorum uia, uel econtrà. Ista uerò quàm sunt fatua & inepta?

X.

Mea sunt: Rectißimè dicitur, Bona opera sunt necessaria, Noua obedientia est necessaria. Istarum propositionum creberrimus est usus in omnibus Ecclesijs rectè constitutis.

Æmuli uerò mei castigatio est: Impropriè & absurdè dicitur, Bona opera sunt necessaria, Noua obedientia est necessaria. I. 2.

Ex his Æmuli mei uerbis apparet, quid sentiat de usitatißima doctrina, cuius fundamenta sunt in uerbo Dei, & quæ consentit cum Augustana confessione & Apologia, quæ defensa est à Luthero & Melanthone, quæ repetitur in ordinationibus, confessionibus, decretis & actis Principum & Ciuitatum: quæ repetitur ab omnibus Orthodoxis, quæ est in communißimo totius Ecclesiæ usu. De tali homine quid sentiendum sit, iudicent, qui iudicare possunt.

XI.

Vsitata Ecclesiæ doctrina in meo scripto repetita, hoc modo se habet: Rectißimè dici-

tur, Bona opera sunt necessaria, tanquàm res à Deo mandata: tanquàm res debita Deo ratione remissionis peccatorum, acceptationis & adoptionis (scilicet præcedentis & antea factæ) tanquàm exercitium gratitudinis: tanquàm exemplum obedientiæ filij erga patrem: Necessaria sunt à posteriori: Necessaria sunt sicut effectus fidei & salutis: sicut testimonia fidei & salutis: sicut pars pœnitentiæ, tanquàm res, quæ debet sequi, sicut effectus sequitur causam, bonus fructus bonam arborem, umbra corpus, fumus ignem, lux solem. Hæc certum est rectissimè sic dici. Consentiunt enim cum sacra Scriptura, cum Augustana confessione & Apologia, cum scriptis Lutheri & Melanthonis, & cum alijs orthodoxis, de quibus in priori castigatione dictum est.

Antagonistæ uerò mei sententia est, non tantùm impropriè uerùm etiam malè sic dici. L. 4.

Eo uerò quid potest esse magis improprium, màlum, absurdum, & quidem etiam blasphemum in ipsa Dei mandata? Hîc profectò concursu esset opus ad tàm funesti incendij extinctionem, iuxta regulam, Capite uulpeculas, dum paruæ sunt.

Mea

XII.

Mea uerba sunt: Rectißimè dicitur, Bona opera sunt necessaria ad gloriam Dei, ad utilitatem proximi, ad testificationem uel declarationem fidei & salutis: Item, ad integritatem totius Pœnitentiæ & Christianæ uitæ, ad exercitia dilectionis, ad distinctionem renatorum & non renatorum, ad certam faciendam uocationem: Ad id, ut fides & Spiritus sanctus non excutiantur: ad id, ut conscientia non uulneretur: ad consecutionem præmiorum, quæ Deus promisit bonis operibus: ad uitationem pœnarum: ad conseruationem publicæ tranquillitatis. Hæc distributio sumpta est ex uerbo Dei & ex alijs scriptoribus orthodoxis, sicut ex testimonijs meis germanicis & latinis apparet.

Ἀντίδικος *meus ait, illa omnia malè & improprie dici. L. 4.*

Hæc tàm sunt absurda, ut sine dubio digna sint non tàm confutationibus, quàm publicis pœnis.

XIII.

Mea uerba sunt: Non proprie dicitur, Bona opera sunt necessaria ad retinendam fidem & salutem. Hæc ego de improprietate dixi, partim propter uim sententiæ, quæ in illa propositione de retinenda fide continetur, partim propter uulgarem istius propositionis usum in multis piorum scriptis.

Aduersarij mei uerba sunt: Non tantùm improprie, sed impiissimè dicitur, Bona opera sunt necessaria ad retinendam fidem & salutem. L. 8.

Hoc nihil aliud est, quàm Melanthonem & alios orthodoxos non paucos impietatis accusare. Cur non incipis à teipso? Itaq; uerè in te congruit, quod à Christo dicitur de eo, qui festucam in alterius oculo uidebat, cùm ipse interim trabem in suo gestaret.

XIIII.

Mea sunt: Opera bona prosunt eò, ut non excutiantur fides & Spiritus sanctus. Id congruit cum Pauli dicto, Repellentes bonam conscientiam circa fidem naufragium fecerunt, 1. Timoth. 1.

Aduer-

Aduersarij uerba sunt: Non uideo, quonam ore tribuere operibus non uereantur, quòd prosint etiam ad hoc, ne excutiatur Spiritus sanctus & fides. M. 2.

Ergò Paulus nondum satisfacit tibi, & dictum eius nondum sapit palato tuo.

XV.

Meum scriptum sic habet: Rectißimè dicitur, Bona opera sunt necessaria ad testificationem uel declarationem fidei & salutis, ad declarandam fidem & salutem. Ad illam sententiam additæ sunt in explicatione eius confirmationes.

Æmulus meus ait, illa omnia impropriè dici. M. 2.

Si uera sunt ista, sequetur etiam improprium esse: Boni fructus sunt necessarij ad declarationem arboris bonæ. Sed constat hoc in communißimo usu esse, & adeò carere improprietate, ut ad nullam poßit referri figuram, quòd constet.

Repetendum autem etiam est, quòd paulò ante locutionem istam retulit non tantùm inter impropria, uerùm etiam mala. Nunc tantùm improprietatis eam accusat eo in loco, ubi inte-

gram uult sententiam ferre. Tàm benè constant sibi calumniæ seu cauillationes.

XVI.

Mea sunt: Quæres fortaßè, utrum doctrina illa sit inculcanda, utrum debeat proponi & tractari, ac in scholis & Ecclesijs sonare. Ea certè de re apud pios, eruditos & sapientes nullæ sunt dubitationes. In his uerbis meis nihil est, quod uideatur cauillatione dignum. Sed uide, quid aduersarius meus agat.

Is igitur sic castigauit: Quæres fortaßè, quomodo doctrina operum debeat proponi & tractari, ac in scholis & Ecclesijs sonare? Ea certè de re apud eruditos, sapientes & maximè Philosophiæ siliquis saginatos, multæ sunt disputationes & opiniones uariæ ac diuersæ, sapientes magis spiritum Aristotelis quàm Christi. M. 7.

Si hoc non est sophisticari, fatebor me non intelligere, quid sit sophisticari. Ait apud Philosophos multas esse ea de re dubitationes, cùm nec simus hîc Philosophi, nec agamus philosophicè, nec respiciamus hîc ad Philosophorum in ma-

in materia operũ tractationes. Quid quòd Philosophis nihil constet de bonis operibus, quæ Theologicè sic appellantur? Talia igitur sophismata alijs quibusdam hominibus rectius conueniunt quam Doctori.

II. PARS.

DE ARGVMENTATIONIBVS ADVERSARII MEI.

I.

Spiritus sanctus damnat omnem carnem l. 1.

Ergò Spiritus sanctus nimium adimit operibus bonis.

RESPON.

In talibus argumentis usitatè dicitur committi fallacia secundum non causam ut causam. In illis ualent hæ regulæ: A non distributo ad distributum, A diuersis ad diuersa non ualet consequentia. Hæc initio dicuntur, & ualent etiam in sequentibus aliquot argumentis. Sed ut magis conspicuum fiat illud, pecularibus declarationibus est opus.

Primùm, aliud est loqui de carne, de qua loquitur anteced̃s, & alud est loqui de operibus bonis, de quibus agitur in consequente.

Secundò, aliud est damnare omnem carnem, & aliud est, nimium adimere operibus bonis.

Ex his distinctionibus apparet, nullam in argumento connexionem esse propter regulas illas, A non distributo ad distributum, A diuersis ad diuersa, non ualet consequentia.

II.

In sacra Scriptura reperiuntur hæ uoces: Non est qui faciat bonum: Omnes iustitiæ nostræ tanquàm pannus menstruatæ: Omnia si feceritis, dicite, Serui inutiles sumus: Quid habes, quod non accepisti? Gloriatio tua exclusa est per legem fidei. I. 1.

Ergò sacra Scriptura nimium adimit operibus bonis.

RESPON.

Primò, Magnum est discrimen inter ademptionem meriti proprij, & inter ademptionem aliarum rerum, quæ operibus competunt uel adhærent,

adhærent, ut sunt mandata, admonitiones, promissiones, commendationes. In isto uerò argumento in antecedente respicitur ad ademptionem proprij meriti uel dignitatis: In consequente agitur de aliarum rerum ademptione.

Secundò, Antecedenti possunt etiam alia dicta opponi. Talia sunt: Facite fructus pœnitentia dignos: Milita militiam bonam: Repellentes bonam conscientiam circa fidem naufragium fecerunt: Debitores sumus: Merces uestra copiosa est in cœlis: Pietas habet promissiones præsentis & futuræ uitæ: Beati pacifici: Tollite iugum meum super uos, & inuenietis requiem animabus uestris.

In illo igitur argumento ea ratione duæ committuntur fallaciæ, fallacia causæ uidelicet, & fallacia compositionis & diuisionis.

III.

Omnes orthodoxi tribuunt soli Deo gloriam, nobis uerò confusionem. I. 1.

Ergò nimium adimunt operibus bonis.

RESPON.

Hoc argumentum est simile præcedenti. Antecedens loquitur de casu meriti proprij: Consequens respicit non tantùm ad meritum, verùm ad alias etiam res, quarum est iam mentio nonnulla facta.

IIII.

Seruantes medium confundunt legem & gratiam, ita, ut nec nimium tribuant legi, nec nimium adimant gratiæ. I. I.

Ergò non sunt pro orthodoxis habendi.

RESPON.

Antecedens est falsum. Nam in ista distributione non agitur de lege & gratia: Sed de medio inter Papistas & Antinomos, hypocritas & securos. De tali autem medio potest dici sine confusione legis & gratiæ, sicut apparet ex disputationibus Lutheri & Melanthonis.

V.

Seruantes medium tribuunt legi & gratiæ necessitatem, quam Scriptura non tribuit illis, & adimunt ipsis, quam non adimit Scriptura

lib.

libertatem, εὐδοκίαν & Spiritum ſanctum. l. 1.

Ergò tales non ſunt pro orthodoxis habendi.

RESPON.

Primùm, in iſta diſtributione non agitur de lege & gratia, ſed de medio inter Papiſtas & Antinomos, hypocritas & ſecuros.

Secundò, paradoxon eſt, cothurno ſimile, quòd in antecedente dicitur, Scripturam non tribuere legi & gratiæ neceſſitatem. In talibus cothurnis nihil poteſt conſtitui certi de ſententia: Et fateor me non ſatis aſſequi, quid uelit.

Tertiò, non ſatis diſtinctum & perſpicuum eſt, quòd ait, Scripturã non adimere legi & gratiæ libertatem, εὐδοκίαν & Spiritum ſanctum. Ergò uult Scripturam tribuere legi libertatem. Sed hoc non eſt uniuerſaliter uerũ. Vult eam tribuere legi εὐδοκίαν: Id fateor me non ſatis intelligere. Vult eam tribuere legi Spiritum ſanctum: Illud ego nunquam nec legi nec audiui. Ac dico id, ut uerba ſonant, non tantum nouum, uerùm etiam falſiſſimum eſſe. Nam Spiritus ſanctus eſt Chriſti donum, & non eſt legis donum.

Præ-

Præterea uult, Scripturam tribuere gratiæ libertatem: Sed hoc oportuisset explicatius dici, ut intelligeretur, utrum de libertate Christiana, an uerò de tua libertate, Pseudoapostolica uidelicet & Enthusiastica, loquereris.

VI.

Hæ locutiones, Bona opera sunt necessaria, Noua obedientia est necessaria, dissentiunt à multis scripturæ testimonijs. I. 2. Ergò non sunt ferendæ.

RESPON.

Antecedens est falsum: quia locutionum istarum sententia continetur in sacra Scriptura, & est pars uerbi diuini, & pars corporis doctrinæ, de quo alibi dictum est copiosius. Quomodo igitur possunt à testimonijs quibusdam Scripturæ sacræ dissentire, cùm tota Theologia & ipsa Scriptura sacra sit una copulatiua, quod Lutherus usurpare solebat? Si tamen sunt aliqua talia testimonia, in illis opus est pia & conueniente interpretatione: Id quod usitatum est & quidem etiam necessarium in tota Scriptura sacra. Ac uidet hic discrimen inter ueram & apparentem repugnantiam, inter ea, quæ reuera &

in speciem dissentire uidentur. Sed uideamus testimonia, quæ citas ad instituti & assertionis tuæ confirmationem.

VII.

2. Corin. 8. Si uoluntas prompta est, accepta est. I. 2.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Hoc dictum suprà etiam citatum est in prima parte scripti tui: Sed quomodo abusus eo sis, ex responsionibus nostris intelligitur: Ea de re uideantur præcedentia libro 1. Argumento 69.

VIII.

2. Corinth. 9. Iubet Paulus dari Eleemosynam, sed non ex necessitate. I. 2.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

De hoc argumento uideatur liber primus argumento 67.

2. Co-

IX.

2. Corinth. 9. Hilarem datorem diligit Dominus. l. 3.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Confutatum est libro 1. argumento 68.

X.

1. Corin. 9. Necessitas mihi incumbit, Vę mihi nisi Euangelizem. Si uolens hoc faciam, præmium habeo: Sin inuitus, dispensatio commissa est mihi. l. 3.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Primùm, ratione priorum partium potest argumentum illud inuerti. Nam eoipso, quòd fatetur Paulus sibi necessitatem Euangelizandi incumbere, efficitur hoc, quòd opus istud Euangelizandi, quod quidem erat opus bonum in Paulo placente Deo, sit necessarium. Idcoq; rectè dicitur, Opera uocationis in renatis sunt opera bona, et sunt talia opera, quæ debent ab ipsis præstari.

Secundò,

Secundò, ratione posteriorum partium committitur fallacia causæ: quia aliud est loqui de coactione, & aliud loqui de bonorum operum necessitate, sicut etiam discrimen est inter promptitudinem & libertatem, proprie uidelicet loquendo. Sed de talibus sæpissimè est dictum in primo libro, & quidem ad nauseam usq;.

XI.

1. Corinth. 7. Qui stat firmus in corde, non habens necessitatem, sed potestatem habens propriæ uoluntatis, & hoc decreuit in corde suo, ut seruet uirginem suam, benè facit. I. 3.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Vocabulum necessitatis in antecedente debet intelligi de externa quadam coactione. Sententia enim Pauli hæc est: Qui ultrò & sine externa coactione constituit secum, quòd uelit seruare uirginem suam, iste facit rectè. Sed longè aliud est loqui de coactione,

de

de qua agitur in antecedente, quàm loqui de bonorum operum necessitate, de qua agitur in præsenti disputatione. Eatenus igitur committitur in argumento isto fallacia causæ: Et proceditur à nō distributo ad distributum. Deinde illud etiam in considerationem uenit, Antecedens loquitur de uirginitate conseruanda, quæ non est mandata: Consequens agit de operibus bonis, quæ sunt res à Deo expressissimè mandatæ.

XII.

Lutherus de omnibus operibus in genere dicit, quòd sint sine necessitate facienda. I. 3.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Vocabulum Necessitatis in antecedente significat coactionem. Sed quid illud ad præsens institutum? Quorsum opus est ista ludificatione?

XIII.

1. Thess. 4. De fraterna caritate non necesse habetis ut scribam uobis. Ipsi namq; diuinitus docti estis, ut diligatis uos inuicem. I. 3.

Ergò

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Est ineptissimum argumentum. Id potest ex similibus argumentis iudicari. Renati ultrò faciunt opera bona, & eatenus, non habent opus admonitione. Ergò non sunt debitores. Homines docti non habent opus institutione, Ergò non est necesse, ut id, quod sciunt, faciant. Tantas ineptias mirum est ab isto disputatore non conspici.

XIIII.

Galat. 4. Quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrûm, l. 3.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Textus Pauli loquitur de libertate à Iudaismo uel Mosaica politia. Id apparet cùm ex præcedentibus & sequentibus in textu Pauli, tùm ex fine uel scopo istius Paulinæ disputationis. Ingens autem discrimen est inter libertatem à Iudaismo & bonorum operum libertatem. Quod qui nescit, Theologos adeat rectè sentientes, & discat ab illis quod ignorat.

XV.

Ad Philemonem capite 1. Sed absq; tua sententia nihil facere uolui, ne uelut ex necessitate bonum tuum esset, sed spontaneum. l. 4.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Primùm, de hoc argumento dictum est libro 1. argumento 71.

Secundò, mirum hoc est, quòd citet primum caput ad Philemonem, cùm in nostris Bibliis nulla fiat mentio capitum istius Epistolæ, & sit tantùm quasi unum caput.

XVI.

1. Pet. 5. Pascite, quantũ in uobis est, gregem Christi, curã illius agẽtes, non coactè, sed uolentes. l. 4.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Repetatur responsio libro primo argumento 72.

XVII.

1. Pet. 2. Sic est uoluntas Dei, ut bene-

facien-

faciendo obturetis os hominibus stultis & ignorãtibus, tanq; liberi, & nõ ueluti prætextum habentes malitiæ libertatem, sed tanquàm serui Dei.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Iste textus Petri nostræ sententiæ illustre patrocinium contra multas Musculi corruptelas præbet. Primùm, In istis uerbis, uoluntas Dei est, respicit Petrus ad totam illam commonefactionem. Et sententia Petri est: Obedite Magistratui: quia est uolũtas Dei. Eatenus igitur potest argumentũ illud inuerti: Nã si uoluntas Dei est, ut obediatur, quomodo non erit necessarium, ut obediatur?

Secundò, in istis uerbis, ut benefaciendo os obturetis hominib. stultis, respicit ad causam impulsiuam uel finalem obedientiæ. Inde colligitur hæc sententia: Obedientia erga Magistratum est necessaria propter uitandas uel pudefaciendas obtrectationes. Eatenus itidem potest inuerti.

Tertiò, in sequentibus uerbis respicit Petrus ad modum obedientiæ, nempe, quòd debeant obedire sicut liberi & sicut serui Dei. Sed addit

liberorum uocabulum rectè intelligendum esse, quod perinde est, ac si dicas intelligi debere non de Antinomica libertate ab operibus bonis, sed de libero statu, in quem sunt Christiani uindicati. Ea ratione potest etiam inuerti argumentum propter regulam, Præcepta de modo facti continent etiam præceptum de ipso facto, de necessitate uel debito facti.

Tàm igitur considerate ex candidè citantur testimonia Scripturæ ab isto disputatore.

XVIII.

Psal. 110. Populus tuus spontaneus offeret tibi in die uictoriæ tuæ in ornatu sancto. l. 4.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Ad hoc argumentum responsum est satis copiosè lib. 1. argumento 73.

XIX.

Psal. 119. Spontanea sacrificia oris mei beneplacita fac Domine. l. 4.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

Respon.

RESPON.

De talibus argumentis sæpissimè est dictum in primo libro. Et ualet in istis regula: Spontanea actio non tollit necessitatem debiti: Imò illud ipsum spontaneum est debitum.

XX.

1. Tim. 1. Iusto non est lex posita. I. 4.
Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Videatur liber primus, argumento 23.

XXI.

Cogere & urgere nouum hominem noua obedientia necessaria est constituere duos dominos conscientiæ iusti, Christum scilicet & necessitatem. I. 4.
Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Primùm, in antecedente dicitur de coactione, cum qua nihil nobis est rei.

Secundò, doctrina de necessitate nouæ obedientiæ non constituit nouum dominum in conscientia: imò uerò, sicut ab orthodoxis traditur,

ipsi Christo dominium suum relinquit. Nam isti debetur dominium: Sed sub isto dominio comprehenduntur ea, quæ de operibus bonis dicuntur. Id ex his apparet dictis: Conditi sumus in Christo ad opera bona: Consepulti sumus unà cum Christo, ut in nouitate uitæ ambulemus: Liberati à peccato, serui facti estis iusticiæ.

Tertiò, inter Christum & necessitatem obedientiæ nouæ nulla est pugna, sicut nec inter fidem & bonam conscientiam. Inde est istud dictum: Retinens fidem & bonam conscientiam. Sed repetantur etiam præcedentia dicta.

Ex his igitur potest & de consequentia & de antecedente iudicari.

XXII.

Conscientia iusti expauescit & fugit necessitatem illam legalem tanq; tyrannũ & crudelem exactorem. l. 4. Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Antecedenti opponi potest hoc dictum Psal. 1. In lege Domini uoluptas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Deinde opponi possunt exempla Apostolorum & omnium sanctorum.

Apostoli

Apostoli sunt iusti, & habent conscientiam bene constitutam: Sed illa conscientia eorum non abhorret à necessitate obediẽdi: Imò uerò delectantur ea, sicut expressè dicunt, Oportet obedire Deo. Paulus etiam est iustus, & tamen de se dicit, Necessitas mihi incumbit. Omitto cætera exempla: Et potest quilibet rectè institutus ex sua ipsius conscientia iudiciũ facere. Præterea opponi etiam possunt Pauli disputationes in Roma. & Galat. ubi confirmatis conscientijs de iustificatione subiungit doctrinam de bonorum operum necessitate. Inde uides, quid firmi sit in isto tuo argumento. Cum his uerò explicationibus cuperemus conferri responsiones quasdam similium argumentorum in 1. libro.

Si tamen interdum tale quid usu uenit, id per accidens fit, non per se: Et fit à conscientijs non rectè, sed malè institutis: Et fit à Christianis, non in quantum sunt iusti, sed ratione certorum peccatorum.

XXIII.

Improprietas uocabuli Necessarij facit locutiones illas de necessitate nouæ obedientiæ & bonorum operum absurdas & malas. I. 4.

Ergò locutiones illæ nõ sunt ferendæ.

RESPON.

Vidcantur in 1. libro 51. & 79. argumenta.

XXIIII.

Omnes homines audientes locutiones de bonorum operum necessitate statim sentiunt propria cuiuslibet conscientia dictitante certitudinem iustificationis, gratuitæ acceptationis, amoris ac gratiæ Dei in dubium uocari & labefactari. I. 4.

Ergò locutio illa non est ferenda.

RESPON.

Hoc argmuentum habet aliquid affinitatis cum argumento 22. Idcoq; non opus est noua responsione. Sunt & in primo libro multa similia, utpote 39. 40. 48. 49.

XXV.

Vocabulum Necessarij confundit & commiscet iustitiam actiuam propriam & passiuam Dei. I. 4.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

Respon.

RESPON.

Primùm, in antecedente sunt ἀκυρολογίαι quædam: In talibus materijs oportet simplicißimè & propriè loqui. Etsi autem uerum est Lutherum talibus formulis uti, tamen non utitur illis Antinomicè & ad Antinomicæ libertatis defensionem.

Secundò, etiamsi antecedentis locutiones reducantur ad simplicem quandam dicendi formam, tamen constare antecedens non potest. Ac possunt opponi ipsi multa testimonia, cùm sacræ scripturæ, tùm etiam scriptorum orthodoxorum, in quibus Necessarij uocabulum expreßè usurpatur, de quibus suprà.

In primo uerò libro extant similia argumenta, ex quibus præcipuum est 28. Idipsum autem hoc quoq; loco repeti potest.

XXVI.

Audiens opera esse necessaria statim colligit esse necessaria ad salutem. I. 5.

Ergò illa locutio non est ferenda.

RESPON.

Primùm, Antecedenti opponi possunt infiniti homines, et omnes illi, qui sunt rectè instituti.

Secundò, opponi possunt Lutheri dicta: Multa sunt necessaria, quæ tamen non sunt necessaria ad salutem. Cibus & potus est necessarius, sed tamen non ad salutem.

Tertiò, quòd si maximè fierent ista, de quibus dicitur in antecedente, certè non aliter fierent, quàm per accidens, in illis uidelicet, qui non rectè sunt instituti.

Ex his omnibus, quid de antecedente & consequentia sentiendum sit, cognoscitur non obscurè.

XXVII.

Aduersarij nostri nullas glossas & palliationes admittentes accipiunt & interpretantur illas locutiones de necessitate bonorum operum in eadem significatione cum locutionibus de necessitate eorum ad salutem. I.5.

Ergò non sunt ferendæ.

RESPON.

De hoc argumentorum genere dictum est in primo libro argumento 140. 141. 142.

Nuda

XXVIII.

Nuda illa propositio de bonorum operum necessitate spoliata suis adulterinis & ineptis ornamentis, fucis & palliationibus, non tantùm est periculosa, scandalosa & exitiosa conscientijs piorũ, uerùm etiam impia & blasphema in meritum mortis & passionis Filij Dei includens simul & meritũ nostrũ, ut causam efficientem salutis. l. 5.

Ergò non est ferenda.

RESPON.

Antecedens totum est falsum, seruata iusta explicatione in ista bonorũ operum propositione. De talibus autem copiosius aliquantò dictum est in primo libro argumen. 7. 130. 131. 139. 144.

XXIX.

Defendentes nouæ obedientiæ necessitatem citant quidem hæc dicta: Oportet obedire Deo: Necesse est obedire Magistratui: Necessitas mihi incumbit, ut Euangelizem. Patientia est uobis necessaria:

Absit

Abstinere à fornicatione est necessarium: Debitores sumus: Liberati a peccato, serui facti estis iustitiæ: Debemus alterutrum diligere &c. Sed hæc testimonia torquentur potius quàm citantur pro defensiõe istius doctrinæ. I. ſ.

Ergò nondum satis est doctrina illa probata.

RESPON.

Priorem partem antecedentis non nego: quia uerum est me citasse illa dicta. Sed posterior pars antecedentis prorsus est falsa: Primùm, quia res ipsa loquitur in istis dictis de nouæ obedientiæ & bonorum operum materia agi. Secundò, quia dicta illa ab alijs etiam in isto genere citari solent.

XXX.

Vocabulum Necessarij & aliquæ equipollentes uoces in sacris reperiri non nego, sed cardo huius negocij uertatur non circa usum huius uocabuli in suo debito loco: Sed circa absurditatem & inproprie

proprietatem in negocio iustificationis & operum iustorum & circa conscientiam sanctorum. I. 5.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Primùm, Vide contradictionem hominis. In prima parte aliquoties scripsit, uocem Necessarij alienissimam esse à Scriptura, cuius exempla sunt E. 3. Nunc uerò scribit contrarium.

Secundò, considera quæso illam quoq; contradictionem. Antea prorsus reiecit uocabulum Necessarij, ita, ut dixerit non esse Theologicum. E. 3. Nunc scribit non agi de usu uocabuli in suo debito loco.

Tertiò, cardinem huius negocij ait uersari circa absurditatem & improprietatem in negocio iustificationis & operum iustorum, & circa conscientiam sanctorum. Hic uide, quæso, confusionem hominis in loquendo. Alij Doctores agentes de nouæ obedientiæ necessitate distinguunt illam materiam ab articulo iustificationis, sicut fructus distinguitur ab arbore, effectus à causa, fumus ab igni, umbra à corpore. Sed hic disputator coniungit illas partes sua quadam uidelicet fretus autoritate.

Ex

Ex his igitur futilitas antecedentis mediocriter conſpicitur, ſi pauliſper dũtaxat attendatur.

XXXI.

Vocabulum Neceſſarij conturbat conſcientiæ certitudinẽ, fiduciam, pacem & tranquillitatem. I. 5.

Ergò non eſt ferendum.

RESPON.

Repetantur reſponſiones argumentorum 41. 48. 51. 128. in primo libro.

XXXII.

Audiens duram illam uocem Neceſſitatis obſtupeſcit, ac in mille ſe cogitationes effundit &c. I. 5.

Ergò non eſt ferenda.

RESPON.

Vide Tautologian hominis. Hæc ſunt aliquoties iam dicta: Et ſunt paulò antè confutata argumento 24. & 26.

XXXIII.

Cùm Chriſtus diceret ad diſcipulos euntes in Emaus, Nonne oportuit ſic pati Chriſtum? ſubitò ex omnibus pauoribus emergentes, in hanc

hanc uocem erumpunt. Nonne cor noſtrum ardebat in nobis? l. 6.

Ergò proprium oportet eſt tollendum.

RESPON.

Primùm, hiſtoria illa citatur mutilatè. Nam Chriſtus initio profectionis dicebat ad illos, Nonne oportuit Chriſtum pati? Altera uerò uox aliquantò póſt eſt dicta in hoſpitio, & quidem poſt multas actiones Chriſti.

Secundò, quoad conſequentiam, committitur fallacia cauſæ: quia beneficia Chriſti non deſtruunt neceſſitatem obedientiæ, quæ debet ſequi poſt acceptionem beneficiorum Chriſti, imò uerò ponunt, conſtituunt & confirmant eam.

XXXIIII.

Cùm Chriſtus diceret ad diſcipulos ſuos, Nonne ſic oportebat Chriſtum pati? Ibi Apoſtoli auditis his uerbis, adorato eo regreſsi ſunt Hieroſolymam cum gaudio magno. l. 6.

Ergò

Ergò proprium oportet est tollẽdum.

RESPON.

Primùm, historia ista citatur etiam mutilatè, sicut ex textu potest animaduerti. Deinde est uicium in forma, sicut in præcedenti.

XXXV.

Dictum Apostolorum, oportet Deo magis obedire, quàm hominibus, oportet peculiariter intelligi: Primùm quidem de collatione eminentię autoritatis Dei & hominũ. Secundò, de obedientia præcepta uoce legis, & non de obedientia Christianorum noua. Tertiò, de respectu ad eos, qui erant adhuc sub lege, & non sub gratia. I. 6.

Ergò non rectè citatur à Prætorio.

RESPON.

Primò, dictum illud Apostolorum, quod istam formam, loquitur quidem de gradibus obedientiæ, sed sub ea ipsa forma continetur etiam præceptum de debito obedientiæ, etiam sine graduum collatione. Nam quod magis debetur, quàm aliud, illud etiam debetur.

Secundò,

Secundò, Noua obedientia non pugnat cum obedientia præcepta in lege: Imò uerò hæc noua est inchoatio obedientiæ legalis. Lex dicit de perfecta obedientia: In doctrina de pœnitentia, quæ est pars Euangelij, dicitur de obedientia noua. Sed hæc, sicut dixi, est inchoatio prioris.

Tertiò, dictum illud Apostolorum non tantùm pertinet ad Iudæos adhuc sub lege uersantes: sed ad ipsos etiam Christianos, imò ad totum genus humanum. Ergò atrocem facis iniuriam, quòd scribis tali responso opus fuisse his, qui adhuc sub lege erant. Inde enim sequeretur, quòd apud Christianos & ad Christianos non posset istud usurpari. Id uerò quid aliud est, quàm sacra Scriptura malicioſissimè abuti? Ex his satis liquidum esse puto testimonium istud benè patrocinari nouæ obedientiæ necessitati: Et non rectè facere Æmulum meum, qui contrarium statuere conatur.

XXXVI.

Dictum Pauli Rom. 13. de necessitate obediendi Magistratui loquitur de necessitate ratione conscientiæ non propriæ, sed aliorum, Item de necessitate legali aut ciuili. Item, de

obedientia non coacta sed spontanea, iuxta exemplum Christi &c. I.7.

Ergò non rectè citatur à Prætorio.

RESPON.

Primò, uocabulum conscientiæ in dicto Pauli interpretaris de conscientia non propria, sed aliorum. Ista profectò est uel ineruditissima uel malicioßißima interpretatio, propter multas causas. Primò, quia sententia Pauli est, quòd Christiani debeant obedire Magistratui propter propriam conscientiam bonam, ad quam & alibi hortatur, Retinens fidem & bonam conscientiam. Secundò, si deberet ista locutio de conscientia aliorum intelligi, oporteret etiam precedentem de ira aliorum intelligi. Tertiò, sequerentur inde hæc absurda, quòd ratione meæ cõscientiæ non deberem obedientiam Magistratui: & quòd liceret etiam quibuis contra Magistratum moliri, quatenus alij non resciscerent uel in conscientia non uulnerarentur: & quòd eodem modo liceret uel interficere Magistratum. Hoc reuera esset repellere bonam conscientiam, de qua Paulus conqueritur 1. Timoth. 1. Egregium certè dogma, dignum scilicet Christianis & filijs Dei.

Quartò

Quartò, dissentit etiam interpretatio illa à communibus Theologorum explicationibus, ex quibus est illa Lutheri, **Das Gewissen ist aus pflichtiger liebe schüldig der Weltlichen gewalt vnterthan zu sein.** Vides igitur, quàm dextrè agas in illo dicto. Ac esset illud nescio quo dignum.

Secundò, necessitas legalis aut ciuilis non pugnat cum necessitate obedientiæ nouæ propter regulam, Euangelium non abolet politica, nec abolet legalia pertinentia ad mores.

Tertiò, nec spontanea obedientia pugnat cum obedientia noua & eius necessitate. Nam obedientia noua debet esse spontanea: Et istud ipsum spontaneum, sicut sæpè repetiuimus, est necessarium.

Quartò, in ista interpretatione implicat autor ille contradictiones. In præcedentibus legalia fecit coacta: In hac interpretatione coniungit legalia & spontanea. Vide, quomodo tibi constes. Ergò quod de mendacibus dici solet, quòd oporteat eos memores esse, idem etiam de cauillatoribus ualet.

Quærat igitur oppugnator ille Necessitatis alias machinas cõmodiores. Nã hic locus patrocinãtur nobis præstat cõtra ipsius oppugnationes.

Quòd si uel maximè ualeret interpretatio ipsius de conscientia aliena, tamen eo ipso etiam esset contra ipsum. Nam si est necessarium ratione conscientiæ alienæ, iam certè coipso manet necessitas, quam tamen Æmulus meus destruere conatur.

XXXVII.

Dictum Pauli de necessitate Euangelizandi 1. Cor. 9. debet intelligi de uoluntario & spontaneo opere Euangelizandi, & non de extorto incumbente necessitate. l. 8. usq; ad K. 3.

Ergò non rectè citatur à Prætorio.

RESPON.

Hîc nulla est cohærentia: quia spontaneum, de quo loquitur antecedens, & necessitas debiti, de qua agitur in hac materia, nõ pugnant inter se, quòd tàm crebrò dictum est, ut pudendum propemodum sit, si repetatur.

In textu uerò istius scriptoris sunt fastuosæ, & non necessariæ amplificationes. Sed aliud est amplificare & aliud docere: Præterea aliud est rectè, & aliud malè amplificare. Aliud est necessaria & aliud non necessaria dicere. Aliud sunt

sunt ἔργα aliud πάρεργα. Itaq; euenit ei, quod solet fieri in omnibus negocijs non bonis, de quibus in tragœdia dicitur, σοφῶν δεῖται φαρμάκων.

XXXVIII.

Defendentes necessitatem bonorum operum & obedientiæ exigunt à sanctis & electis Dei opera necessitate extorta, Deo displicentia, impia, blasphema in meritũ Christi; conturbantia conscientias piorum, facientia fidem irritam & fluctuantem, inferentia desperationem & æternam tandem damnationem. K. 2.

Ergò doctrina illa non est ferenda.

RESPON.

Aliud est accusare, & aliud probare. Item, aliud est nugari, & aliud uera loqui. Hoc recitamus propter antecedens, in quo solæ sunt accusationes sine probatione, & quidem cum nugationibus coniunctæ. In eandem autem sententiam multa sunt in primo libro: Et ad ea remittimus nunc lectorem.

XXXIX.

Defensores necessitatis operum sunt similes cæcis palpantibus in tenebris: Sunt homines, qui illotis pedibus in Scripturam irruerunt, qui intellectum non auferunt ex Scriptura, sed inferunt, qui fascinati sapientia & ratione humana, faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant, qui sine iudicio Spiritus personis affixi uerba audita uel lecta sed non intellecta recitant, sicut Psittacus suum χαῖρε, de quibus Lutherus dixit, quòd sint destructuri, quæ ipse construxit, & constructuri, quæ ipse destruxit. K. 2.

Ergò tales homines non sunt audiendi.

RESPON.

Est fallacia Amphiboliæ, quoad personas, de quibus hoc dicitur. Si respicis ad me, quod ualdè est uerisimile, credo piè dici posse,

posse, quòd nimium parcas ueritati. Si respicis ad D. Melanthonem & alios eo modo loquentes, quorum nonnullos certum est te infinito odio prosequi, quod ex publicis proclamationibus probari potest, iam eo ipso etiam indignè facis, cùm publicè de contraria rerum istarum ratione constet.

XL.

Dictum Pauli ad Ebræos, Patientia uobis est necessaria, loquitur de perseuerantia fidei. K. 3. & 4. Ergò non rectè citatur à Prætorio.

RESPON.

Primùm, uocabulum patientiæ interpretaris de perseueratione in fide. Hìc opponi tibi paulò plura possunt, nempe discrimen inter illas uoces, textus Græcus, omnes latinæ uersiones, uersio Lutheri germanica.

Secundo, quòd si uel maximè loqueretur ibi textus de perseuerantia in fide, tamen id adeò nõ obesset nobis, ut multò magis patrocinaretur. Nam ea ipsa perseuerantia est pars obedientiæ nouæ & operum bonorum, sicut ecõtra discessio à fide est opus malum & actus inobedientiæ.

Neq; enim credo te hoc uelle, quòd fides & perseuerantia in fide prorsus sint idem, sicut nec confessio & constantia in confessione per omnia sunt unum & idem.

Videat ergò Necessitatis oppugnator, quàm candidè faciat in accusatione Scripturæ rectissimè citatæ.

XLI.

In illo unico testimonio, quod extat Ebræo. 10. de patientia, admitto necessarium, & concedo usum licitum & pium: In hoc solo non excludo ut ineptum, absurdum & improprium. K. 3.

Ergò in reliquis non debet usurpari.

RESPON.

Primùm, uide παῤῥησίαν. Vocabulum Necessarij cum cognatis aliquoties reperitur in sacris. Sed omnibus illis posthabitis in hoc unico & solo uis admittere & concedere. Id uerò quid aliud est, quàm ipsum reprehẽdere Spiritum sanctum, & locutiones eius, & ferre de ipsis sententias, & superciliosè reijcere, quæ corruptelis stabiliendis repugnant. Talia multa sunt olim etiam à multis hæreticis factitata.

Secundò uide inconstantiam tuam in priori parte censuisti uocabulum hoc prorsus ex Theologia explodendum, & accusasti illud absurditatis, ineptiarum & improprietatis sine exceptione. Hîc conuictus exemplo, unam admittis exceptionem, admissurus sine dubio plures, si urgereris. Id consentit cum Terentiano dicto, Modo ait, modo negat.

XLII.

Propugnatores necessitatis operum intelligunt dictum illud de patientia carnis & mundi, de patientia ficta & simulata, de patientia coacta & extorta. K.4.

Ergò non rectè utuntur illo dicto.

RESPON.

Si respicis ad me, reuera possum de fictionibus tuis (non enim utar nugarum & mendaciorum appellationibus) respondere: Si ad alios, respondebunt ipsi, si qui sunt rei. Ego certè neminem noui.

XLIII.

Defensores necessitatis non candidè citant Scripturas. K.5.

Ergò non faciunt rectè.

RESPON.

Antecedens est mera calumnia, & congruit cum consuetudinibus calumniosorum accusatorum, qui in id unicè incumbunt, ut aduersario calumnijs suis odium & inuidiam concilient. Ego de me certus sum, quòd rectè citauerim testimonia illa: Et possum citationes meas defendere, sicut ex his responsionibus meis apparet. De te uerò dico, quòd rectè citata pessimè interpreteris, sicut ex argumẽtorum tuorum & responsionum mearum collationibus animaduerti potest. Hæc si nondum faciunt tibi satis, eamus sanè ad iudices competentes, ut sunt Theologi pij, eruditi & prudentes, & audiamus, quid ab illis dicatur.

XLIIII.

Textus Act. 15. allegatur sophisticè: quia loquitur de quatuor oneribus tantùm ad tempus necessarijs: Et constitutio illa est abrogata cum tota lege: Et quod de fornicatione dicitur, id alioqui præstatur à renatis, non tanquàm onus impositum, nec ex necessitate aut coactione legali, sed ex libero Spiritu. K. 5. & 6.

Ergò

Ergò non rectè citatur à Prætorio.

RESPON.

Primùm, ex textu Actorum citaui illud, quod erat uniuersale, pertinens ad omnes homines: Reliqua loquentia de oneribus temporalibus non citaui. In eo uerò quid est quæso Sophismatis? Illud econtra sophisticum est, tribuere alicui citationem, quæ non est ita facta.

Secundò, in textu præcipitur, ut abstineant ab Idolothytis, sanguine, suffocato et scortatione. Ea tu ita describis, q. sint onera ad tempus necessaria. De tribus prioribus non disputo tecum: Sed illud mirum est, quare etiam fornicationem numeres inter onera ad tempus necessaria. Vide, quàm leuiter agas causam ualdè magnam. Quid existimas inde futurum, si tales opiniones peruaserint animos populares alioqui satis ad libidinem procliues?

Tertio, in tribus prioribus oneribus concedis necessarij appellationem: In bonis uerò operibus non uis concedere. Id summoperè est mirum. Nam priora non erant perpetua Dei uoluntas, & poterant eo tempore pro abrogatis haberi: Hæc uerò sunt perpetua Dei uoluntas, & sunt uniuersalia & subinde inculcantur in utroq; Testamento.

Quæ-

Quartò, constitutionem illam dicis postea abrogatam esse cum tota lege: Si uerum est illud, iam etiam præceptum de uitanda scortatione est abrogatum. O te malè feriatum interpretem legis. Quid quòd illud etiam non satis distincte dictum est, quod de totius legis abrogatione profers?

Quintò, quæ de fornicationis uitatione dicis, in eo uidetur inesse aliquid Antinomiæ. Vitari ea dicis ex libero Spiritu. Sed quid contigit Dauidi, qui ita renatus fuit, ut uocatus sit seruus Dei?

Addis uitari non tanquàm impositum onus: Sed cur repetitur præceptum de fornicatione uitanda à Christo & Apostolis?

Addis etiam uitari quidem, sed non ex necessitate. Id quid aliud est, quàm uitari eam, sed non ex debito, de quo uocabulum necessitatis in hac materia ab omnibus orthodoxis usurpatur? Cur igitur Paulus dicit, Debitores sumus? Cur hîc in actis dicitur, Necessarium est abstinere à fornicatione? Cur alibi dicitur, Fornicatores iudicabit Dominus: Qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt?

Nunc igitur repete, quæso, interpretationem tuam, & uide, quid in ea sit eruditionis, sapientiæ & momenti.

Dictum

XLV.

Dictum Pauli Rom. 8. Debitores sumus, loquitur de debito pendente præcipuè ex uirtute & operatione Spiritus Christi. Item de tali modo debiti, quo debetur aliquid, non ex Spiritu seruitutis, necessitatis, coactionis, sed ex Spiritu adoptionis, Spiritu prompto & libero. K. 6. 7.

Ergò non rectè citatur à Prætorio.

RESPON.

Ad istud argumentum soluendum sola sufficit inuersio. Nam in mea quoq; citatione non alius est, ut apparet, finis, nec usus alius, quàm de quo dicitur in antecedente, nisi quòd uocabulo Necessitatis aliter hîc uteris, quàm à nobis solet.

Ego cum alijs dico, Iustificatos esse debitores Deo: Et in eo non excludo nec Spiritum sanctum nec spontaneam actionem, Imò uerò unà coniungo illa, & uolo esse mutuò connexa. Itaq; si expugnare nos uis, oportet te alia insistere uia.

Sit nunc iudicium penes bonos & pios syncerè de tota doctrina cœlesti iudicãtes, an non textus iste pro defensione necessitatis adferri possit.

XLVI.

Dictum Pauli Ro. 6. Serui facti estis iusticiæ, loquitur de seruitute liberrima in Spiritu gratiæ & precum, quæ fit cum delectatione & non necessitate aut coactione legis, & in Spiritu non timoris, sed adoptionis. K. 8.

Ergò non rectè citatur à Prætorio.

RESPON.

Hoc argumentum cognatum est cum precedenti. Idcoq; uno & eodem soluitur modo.

Malè ergò & impiè dicitur, hunc locum malè uel impiè allegari pro defensione necessitatis obedientiæ nouæ.

XLVII.

Dictum Iohannis, Debemus nos mutuò diligere, loquitur de dilectione non necessaria & seruili, sed liberrima, non de dilectione carnis

&

& effusa in corda per Spiritum sanctum. L. 1.

Ergò non rectè citatur à Prætorio.

RESPON.

Hìc iterum dico, quod de præcedentibus duobus dixi, seruata iusta accommodatione.

XLVIII.

Lutherus dicit, Quicquid lege cogente fit, id est peccatum. L. 2.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

RESPON.

Antecedens loquitur de coactione legis. Nos in nostra materia loquimur non de coactione legis, sed de debito, uel debiti necessitate. Ità committitur in argumento illo fallacia causæ.

XLIX.

Lutherus dicit, in nouo Testamento non esse præcepta urgentia, sed tantùm exhortationes & obsecrationes. L. 2.

Ergò bona opera non rectè dicuntur necessaria.

Respon.

RESPON.

Soluitur per inuersionem. Nam propter illas ipsas exhortationes & obsecrationes rectè dicuntur necessaria. Si Christus tantùm exhortaretur nos & obsecraret, an non eo ipso deberemus obedientiam ipsi, utpote creatori, saluatori & Pontifici nostro? Si uerum est, quòd in nouo Testamento sunt exhortationes & obsecrationes blandissimæ, sequitur & hoc uerissimum esse, quòd hæ locutiones, Bona opera sunt necessaria, Noua obedientia est necessaria, habeant in nouo Testamento locum.

L.

A temporibus Apostolorum usq; ad hoc nostrum seculum in Ecclesia Spiritus sanctus semper locutionem hanc fugit. L. 3.
Ergò non rectè usurpatur.

RESPON.

Antecedens est manifestissimè falsum. Nam ea doctrina reperitur in Scriptis Apostolorum & omnium orthodoxorum tractantium de ista materia, re & uerbis.

Ista

LI.

Ista locutio est quidem paulò usitatior, sed hoc fit uel imitatione Maioristarum, uel ex imperitia quadam, utpote quòd non considerant proprietatem & absurditatem uocabuli. L. 3.

Ergò ab usu communi non potest sumi argumentum ad defensionem istius propositionis.

RESPON.

Antecedens non est uerum, propter multas causas. Primùm, quia doctrina illa fuit in perpetuo Ecclesiæ usu, & ante omnes recentes disputationes. Secundò, usurpatur etiam ab illis, qui contradixerunt istis, de quibus tu scribis. Tertiò, usurpatur ab illis, qui totum corpus doctrinæ & singulas eius partes, & sermonem Ecclesiæ & uim uocum longè melius intelligunt, quàm tu intelligis & intelliges unquàm. Quartò, magnum etiam discrimen est inter illas duas propositiones, Bona opera sunt necessaria ad salutem,

& bona opera sint necessaria sine appendice ad salutem. De his rebus sunt quædam in testimonijs meis.

LII.

Ista locutio est quidem in Augustana confessione & Apologia. Sed autores Confessionis tempori se accommodarunt aut non satis considerate scripserũt. L. 3.

Ergò argumentum ab autoritate Confessionis & Apologiæ sumptum non ualet.

RESPON.

Primùm, quod de Confessione Augustana scribis, illud tam est contumelioſum in nostram religionem, ut mirum sit ferri talia. Sed de hac tua calumnia dictum est copioſius initio.

Secundò in priori parte antecedentis fit etiam mentio Apologiæ. In posteriori uerò nihil contra eam dicis, Ergò inde potest sumi argumentum defensionis. Quare? Quia nihil adfers causæ, quare illam iudices repudiandam.

In

LIII.

In Luthero reperitur hæc phrasis rarissimè. L. 3.

Ergò à Lutheri autoritate non possunt sumi argumenta, uel non ualent.

RESPON.

Primùm, In antecedente est purissima nugatio. Ego quoad uocabulum Necessarij habeo uiginti quinq; exempla: quoad germanicas appellationes Not vnd Nötig *habeo undecim: quoad synonymas uoces, oportere, debere,* sollen/ müssen / schüldig vnd pflichtig sein/ *habeo ualdè multa. Sed credo plura reperiri posse, si quis introspiciat accuratius. Vide igitur frontem tuam, quòd tàm supercilioſè audes illa proclamare.*

Secundò, si uel maximè reperiretur rarò, tamen illud ipsum rarũ in Luthero non esset contemnendum. Ac ualet Lutheri autoritas in illis etiam, quæ rarò usurpauit suo modo, Sic nos de Luthero rectè intellecto iudicamus. De te uerò meminimus, quòd appellaueris ad autoritatem Lutheri, tanquàm cessurus de sententia tua,

si conuincereris ipsius testimonio. Quid fiebat? cùm monstraretur tibi testimonium, respondebas te in uerba Lutheri non iurasse.

Tertiò, si Lutheri rara non uis ualere, quare tu conaris ex eo libertatem tuam stabilire, de qua longè rariores sunt apud ipsum locutiones, quàm de necessitate? Et si quæ sunt, eæ non ad Antinomicum pertinent scopum, ad quem tu tendis, nec loquuntur de tua bonorum operum libertate, sed uel de libertate à Iudaismo uel ab alijs oneribus spiritualibus.

Rectè ergò faciunt, qui ut usitatam Ecclesiæ doctrinam confirment, collectis testimonijs ex Luthero piè benèq; sentientes & docentes confirmant. Tu econtrà non rectè facis, quòd euertere ea conaris, & tuas quasdam colligis Antilogias. Hoc modo si quis pugnare uolucrit, nec ipsa Scriptura sacra satis tuta erit: In patribus uerò nihil manebit integrum. An uerò uiri & ueritatis amantis & non potius Sycophantæ sit in doctrina Ecclesiæ sic ludere, alijs iudicandum relinquo.

Stat igitur ueritas contra portas inferorum, Has locutiones, Bona opera sunt necessaria, noua obedientia est necessaria, esse rectas, pro-

proprias, Scripturæ consentaneas, Christianas & necessarias. Ac possum in hoc toto negocio ferre iudicia eruditorum, piorum, & prudentum Theologorum, qui non sunt Antinomico fermento imbuti.

LIIII.

In explicatione Prætorij sunt hæc uerba: Deinde sunt necessaria à posteriori. Hoc perinde sonat, ac si præcedentia in textu eius sint intelligenda à priori. L. 5.

Ergò Prætorius non loquitur recte.

RESPON.

Tales interpretationes solent alibi sophisticæ & sycophanticæ uocari. Introspiciatur series explicationis meæ, & sit iudicium penes eruditos & pios.

LV.

In eadem sunt etiã hæc uerba, Præterea necessaria sunt, sicut effectus fidei & salutis &c. Hoc perinde

inde ſonat, ac ſi prius dicta alio modo eſſent neceſſaria, quàm ut effectus: Et eo modo inferrentur ad ordinem cauſarum. L.5.

Ergò non rectè loquitur Prætorius.

RESPON.

Hic idem dico, quod in præcedenti. Quid opus eſt multis?

LVI.

In eadem ſunt etiam hæc uerba: Bona opera ſunt neceſſaria ad integritatem totius pœnitentiæ. Hoc perinde eſt, ac ſi dicas, Pœnitentia non eſt integra, niſi accedant bona opera. Sed hoc non recte dicitur. L.5.

Ergò Prætorij ſententia non eſt pia.

RESPON.

Verum eſt me ſic ſcripſiſſe, & aſſero me rectè ſcripſiſſe: Et nitor his *fundamentis.*

Primùm, Rectè dicitur, *Partes principales ſunt neceſſariæ ad integritatem totius:* Nouа autem obedientia eſt una ex partibus pœniten-

nitentiæ principalibus. Ergò de illa quoq; rectè dicitur, quòd sit necessaria ad totius pœnitentiæ integritatem.

Secundò, Rectè dicitur, Paries est necessarius ad integritatem domus: Crura sunt necessaria ad integritatem totius corporis: Corpus est necessarium ad integritatem totius hominis: Idem in alijs ualet. Ergo ualet etiam in hac materia.

Quid habes igitur, quod iure desideres in ista locutionis forma?

LVII.

Quod ad alicuius rei integritatem pertinet, id est causa eius. L. 5.
Sed bona opera non sunt causa pœnitentiæ.
Ergò non rectè dicitur à Prætorio.

RESPON.

Quòd in maiori dicitur, id ego alibi non legi eo modo. Sit igitur tua regula. Sed opponi possunt infinita exẽpla. Tecta requiruntur ad integritatẽ domus, et tamen non est causa domus.

Caput requiritur ad integritatem corporis humani, & tamen non est causa eius. Sed conseruantur etiam similia exempla.

LVIII.

Ista locutio, Bona opera sunt necessaria ad integritatem totius pœnitentiæ, est periculosior propositione de bonorum operum necessitate ad salutem: quia hîc constituitur partialis causa, ibi uerò totalis & integralis. L. 5.

Ergò non rectè loquitur Prætorius.

RESPON.

In ista locutione prorsus nihil est periculi: quia consentit cum usitata doctrina de tribus pœnitentiæ partibus. Quod uerò additur de causa totali & integrali, id merum est figmentum & tantùm calumnia quædam. Aliud enim est esse causam salutis totalem, & aliud esse necessarium ad integritatem pœnitentiæ. Id ex reliquis pœnitentiæ partibus, fide & contritione, apparet. Illæ duæ requiruntur etiam

etiam ad pœnitentiæ integritatem, & tamen nō uocantur causæ salutis totales & integrales.

Hîc uerò iudicent pij & eruditi, quid homines isti moliantur: & quàm horribilibus corruptelis nobis & posteris nostris doctrinam fidei sint contaminaturi, ita, ut non agnoscas eandem esse, nisi Filius Dei sedens ad dexteram Patris conatus eorum fregerit, & dederit pios Ecclesiæ Doctores, qui resistant ipsis, & usitatam sanamq; doctrinam tueantur.

LIX

Quòd ad bonorum operum actionem attinet, præstat operatores omnium operum causas finales omninò aut nescire, aut propter cauendam fiduciam dissimulare. L. 6.

Ergò Prætorius non rectè facit recitans causas finales.

RESPON.

Antecedens habet aliquam similitudinem cum Enthusiasticis paradoxis. Sed possunt ei opponi exempla Christi, Apostolorum

& omnium orthodoxorũ, qui faciunt interdum mentionem causarum finalium in hac operum materia. Hos igitur reprehendis, cùm talia decreta facis.

LX.

Chrysostomus, Augustinus & Bernardus consentiunt mecum in eo, ꝙ homo non debeat ratione operum animo euehi &c. L 6.7. Ergò sententia mea est uera.

RESPON.

Primùm est fallacia ignorationis Elenchi: quia non disputatur de illa parte: Aliud est loqui de necessitate bonorum operum, & aliud est loqui de fiducia ipsorum.

Secundò, in istis scriptoribus sunt quædam, quæ possunt contra te usurpari. Ex illis est istud Chrysostomi in Matth. Homil. 3. Necessaria nobis est præteritarum obliuio rerum. Idem, πᾶσα ἀνάγκη τὸν μέλλοντα ἐναρέσειν τῷ θεῷ καὶ δίκαιον εἶναι καὶ ἅγιον. Augustinus in Iohannem tractatu 12. Oportet, ut oderis in te opus tuum, & ames in te opus Dei.

LXI.

Prętorius uult hanc locutionẽ, Bona opera

opera sunt necessaria ad retinendã salutem, mitigare, dicens eam esse impropriam. Sed hoc non dicitur rectè. M. 1.

Ergò Prætorius non loquitur rectè.

RESPON.

Ego in ista materia & explicatione tantùm de usu scriptorum quorundam loquor, quos constat in Ecclesijs nostris authenticos esse. Istorum locutiones censui mitigandas esse, quatenus piè possunt mitigari. Alioqui enim nemini parcẽdum esset. Iam ut illud quoq; dicam, Interpretatio mea sumpta est ex Pauli dicto, Repellentes bonam conscientiam circa fidem naufragium fecerunt. Inde sequitur, quòd retentio bonæ conscientiæ non excutiat fidem & Spiritum sanctum. Quorsum opus est igitur tumultuationibus tuis in reprehensione?

LXII.

Si opera prosunt ad hoc, ne excutiãtur fides & Spiritus sanctus, iam falsa sunt illa dicta, uirtute Dei custodimini, Qui cœpit in uobis, ille perficiet. M. 2.

Sed

Sed ista dicta non sunt falsa.

Ergò opera non prosunt eò, ne excutiantur fides & Spiritus sanctus.

RESPON.

Ista duo dicta loquuntur de propria & principali causa retentionis fidei. Sed cùm dicimus de operum retentione, in eo non agitur nec de propria nec de principali causa, sed de re impediente excussionem & conferente eatenus aliquid à posteriori quasi. Ergò cohærentia maioris non est satis firma.

LXIII.

Quidquid prodest ad aliquid aut impedit, quo minus se res aliter habere possit, id necesse est ad causam referri. M. 2.

Sed bona opera non possunt referri referri ad causas retentionis salutis.

Ergò non rectè dicitur, quòd prosint ad retentionem, aut quòd impediant excussionem.

Respon.

RESPON.

Distinguendum est inter prius & posterius. Istud argumentum loquitur de priori, & eatenus conceditur totum. Ego in explicatione mea locutus sum de posteriori. Ergò non fuisset opus ista tumultuatione.

LXIIII.

Si bona opera sunt fructus Spiritus, iam non rectè dicitur, quòd conseruent Spiritum sanctum & salutem. M. 2.

Sed sunt fructus Spiritus.

Ergò non rectè dicitur illud de conseruatione.

RESPON.

Distinguendum est inter proprias & improprias locutiones. Propriè loquendo non rectè tribuitur operibus conseruatio fidei, sicut satis explicatè hoc in scripto meo dicitur. Sed alia est ratio improprietatis, quæ hominibus non suspectis conceditur interdum sine reprehensione.

Mala

LXV.

Mala opera non ſunt cauſa excuſſionis fidei, ſed ſunt tantùm ſignum fidei iam excuſſæ. M. 2.

Ergò bona opera non ſunt cauſa retentæ fidei, ſed ſignum tantùm.

RESPON.

Antecedens non eſt ſimpliciter uerum: quia iſta duo non pugnant inter ſe, ſed habent ſe ſubordinatè. Mala opera primùm quidem excutiunt Spiritum ſanctum, deinde ſunt etiam ſignum iſtius excuſſionis. Ita etiam ſol eſt & cauſa & ſignum diei: Febris eſt & cauſa & ſignum debilitatis.

LXVI.

Si bona opera ſunt neceſſaria ad declarationem fidei & ſalutis, iam neceſſe eſt declarationem illam fidei & ſalutis fieri aut coram Deo, aut coram ſeipſo, aut coram proximo. M 3.

Sed coram Deo non opus eſt declaratione: quia alioqui eſt ſcrutator cordium. Nec coram ſeipſo:

ipſo: quia inde ſequerentur tandem dubitationes in conſcientia de ſufficienti declaratione: Nec coram proximo: quia inde idem ſequeretur. M. 3. 4.

Ergò bona opera prorſus non ſunt neceſſaria ad declarationem fidei & ſalutis.

RESPON.

Poſtrema pars minoris non eſt uera: Et poteſt ex his Chriſti dictis confutari: In hoc cognoſcent, q; ſitis mei diſcipuli, ſi diligatis uos inuicem: Luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant opera ueſtra bona, & glorificent patrem ueſtrum, qui in cœlis eſt. Ad rationem uerò, quæ additur, reſpondendum eſt, quòd fiat illud nõ per ſe, ſed per accidens. Sed ex eo, quod per accidens fit, nullæ fiunt in regularibus mutationes.

LXVII.

Bona opera neminem poſſunt certificare de ſalute, ut conſcientia acquieſcere poſsit. M. 4.

Ergò prorſus non ſunt neceſſaria ad teſtificationẽ de ſalute. Re-

RESPON.

A particulari ad uniuersale, A non distributo ad distributum, A diuersis ad diuersa non ualet consequentia.

LXVIII.

Sacra Scriptura tribuit testificationem salutis Spiritui sancto & fidei, Rom. 8. Ephe. 1. Rom. 4. Ebræ. 11. M. 4.

Ergò non rectè tribuitur operibus.

RESPON.

Isti textus Scripturæ loquuntur de testificatione salutis in ipso iustificato. Sed nos loquimur de declaratione salutis apud alios. Vide igitur, quàm dextrè agas.

De talibus interpretibus Scripturæ rectè dici potest, quòd sint spiritualium rerum imperiti. Tales cùm in Scripturam irruunt pedibus illotis, non possunt non fingere sibi dogmata noua & Scripturam ad arbitrium suum accommodare. Hic ueriſsimè dici potest, Asinus ad lyram. Accidit autem illis, quod pueris & stultis euenire solet, qui se multa & magna scire pu-

re putant, sed in experiendo nesciunt, & quæ putarunt prima, ea repudiant in experiendo.

LXIX.

Hæc tractatio mea consentit per omnia non tantùm cum sacra Scriptura, sed senserũt & docuerunt idem etiam ueteres cum magno consensu eodem modo. Id apparet ex testimonijs Augustini, Bernardi, Fulgentij, Ambrosij, Chrysostomi, Origenis &c. O.1.2.3.4.5.6.

Ergò ego Musculus rectè doceo, Prætorius uerò non rectè docet.

RESPON.

Primùm, non rectè dicis, quòd tractatio tua consentiat cum sacra Scriptura. Id enim nec probationibus nec confutationibus in illis, quæ quidem hactenus commemorata sunt, obtinuisti.

Secundò, quòd ais ueteres idem eodem modo magno consensu docuisse, id nondum est

probatum in illa præsertim propositione, de qua tu disputas contra me. Imò uerò contrarium accidit. Ac potest illud partim ex his confutationibus meis, partim ex testimonijs paulò antè editis à me, animaduerti.

Tertiò, de testimonijs Patrum, quæ in libro tuo citantur, non est opus prolixa responsione. Hoc pauciſsimis dici potest: In omnibus disputationibus præstandum est, ut non peregrina sed conuenientia citentur. In hac materia agitur de bonorum operum necessitate & libertate. De alijs uerò capitibus in illo doctrinæ genere nihil est hic negocij nobis. De illis igitur, et non de his sunt testimonia citanda.

LXX.

Lutherus est quædam uaticinatus de Magistris quibusdam. O.6. Ergò respicit etiam ad Prætorij de bonis operibus doctrinam.

RESPON.

Primùm, Lutheri prædictio non spectat ad magistros ὀρθοτομοῦντας τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, sed ad eos, qui non rectè secant sermonem ueritatis. Alioqui cederet ea res in multos

multorum contumeliam, ad quos tamen Lutherus non respexit.

Secundò, quod ad formam argumenti attinet, ea procedit à particulari ad particulare uel singulare. Tales uerò consequentiæ prorsus non ualent.

Tertiò, si ex prophetijs Lutheri dubijs iudicandum est de hac materia uel similibus, possent profectò & aliæ contra te tuosq; manipulares proferri. Hæc possent prætermitti, nisi prophetia ista peculiari consilio ad finem addita uideretur.

CONCLVSIO cum Protestatione.

HÆc habebam, quæ Musculi scripto contra me edito opponerem: Ad quam rem summa rerum mearum necessitas & circumstantiæ quædam, de quibus nunc non dicam, me impulerunt.

Hoc ipsum autem scriptum anno superiori confectum ad hoc usq; tempus reseruaui, non quòd causæ diffiderem, sed ut aduersarij scripto parcerem, quantum possem. Nunc uerò diutius detimere nec uolui nec potui. Video enim hostiliter ab eo me peti, sicut ex recentiori eius scripto Germanico apparet: Video etiam confessiones meas & me unà cum ipsis nescio quo modo periclitari.

In omnibus uerò scriptis meis semper illa mihi in animo sententia resedit, quòd uellem ea Ecclesiæ iudicijs subiecta esse, quem quidem & nunc retineo, & deinceps Deo dante, semper circumferam & conseruabo. Ac sum etiam non tantum ad parendum, uerùm ad gratiarum quoq; actionem paratißimus omni monenti.

Idem in hac tàm uehementi mei oppugnatione, in qua etiam hæreticus, Pelagianus, canis, lupus rapax &c. audire cogor, facio: Ac oro omnes pios & doctos, Augustanæ confessioni addictos, in primis tamen Theologos nostræ religionis, ut iudicia sua in hac controuersia, quæ Francofordianam Ecclesiam & Academiam funestißimè affligit, interponere non grauentur.

grauentur. Optarem enim & Ecclesiæ & Academiæ isti salutarem pacem restitui. De me quanquàm minus sum solicitus, tamen ab istis insectationibus tandem aliquando post aliquot tempestates annorum & procellas cupio liberari, si qua ratione piè & cum conscientia bona fieri potest.

Æternus Deus regat omnes nos in veritate sua, & donet nobis salutarem pacem, cùm non sit alius, qui vel velit vel possit hoc præstare.

Amen, Amen.

VETVS
M. IOHANNIS AGRI
colæ Islebij doctrina
DE NOVA OBEDIENTIA
& bonis operibus.

In formulis & interrogationibus puerilibus euulgatis Berlini Anno 1541.

In Præfatione.

OPera DEBENT fieri propter quinq; causas.

1 Propter mandatum Dei.
2 Ad exercendã & alendam fidẽ.
3 Propter confessionem.
4 Propter gratiarum actionem.
5 Quia conditi & præparati sumus ad benè operandum.

Ibidem quæstione 203.

Opera uocationis DEBENT fieri primùm ad gloriã Dei, Sic enim ait Christus, Luceat lux uestra &c. Secundò, ut certam faciamus nostram uocationẽ, & ut probetur nostra

ſtra fides. Qui enim fideliter ſeruiũt docendo, ipſi bonum ſibijpſis acquirunt in pietate quadam, ad Timoth.

Ibidem quæſtione 208.

Auguſtinus, Omnis ergò Chriſtianus, cui iam donatũ eſt poſſe per gratiam, ut Dei faciat uoluntatem, abundare DEBET in operib. bonis: quia labor eius non erit inanis in Domino, ſic tamen, ut non in ſe, ſed ſemper in Domino glorietur.

Idem, Nobis neceſſarium erat, ut eo modo ageretur nobiſcũ .i. ut uteretur Deus Diabolo ad exercendam & probandam fidem & pietatem.

Extant & alia eius dicta, partim his ſimilia, partim etiam magis Emphatica in germanicis ipſius ſcriptis, de quibus alibi dicetur. Interim tamen locum nunc annotabo.

In der Auslegung der Epiſtel zun Coloſſ. zu Speir gepredigt Anno 1527. C. 1. 2. & 3.

In den 130. Fragstücken / quæstione 82. & 87.

In den Summarien der Episteln durchs gantze Jar. F. 8. Q. 1. V. 5. a. 8. d. 2. & 3.

Im Merckischen bekentnis wider Osiandrum. l. 1.

VETVS
D. ANDREÆ MVSCVLI doctrina
DE NOVA OBEDIENTIA & bonis operibus.

In disputatione M. Melchioris Dregeri Propositione 19.

Sub initio prædicationis Euangelij unà cum abominationibus Pontificijs, egregiæ & piæ traditiones & ceremoniæ destruendæ NECESSARIO erant, ne uinum nouum in utres ueteres mitteretur. Quòd

Quòd uerò nunc quidam concionatores tantùm in fundamenti positione bonis & malis structuris pariter solo æquatis | immorantur diutius, nec aurum, argentum & lapides pretiosos, doctrinā nimirum de noua obedientia, de fidei exercitijs, de precibus, ieiunijs, collectionibus &c. superstruunt, Pronuncio tales prædicatores esse concionatores libertatis carnis non Spiritus, esse eos instrumenta Satanæ, in quibus Diabolus se in Angelum lucis transformans, securitatem in mundo iam senescente & ruinam minitante spargit & promouet.

Idem in locis de bonis operibus.

Chrysostomus, Quæcunq; fecerimus, debitum, si quando fecerimus, exoluimus. Propterea & ipse

Christus dicit, Quando omnia feceritis, dicite, Quoniam inutiles serui sumus, quæ debebamus facere, fecimus. Cùm igitur dilectionem exhibemus, cùm pecuniam exhibemus egenis, debitum implemus.

Idem, NECESSARIA nobis est præteritarum obliuio uirtutum.

Ambrosius, Iure Deo DEBEMVS obsequium.

Idem, Dum uiuimus, DEBEMVS semper operari.

Augustinus, Impius ideo iustificatus est, ut iustus sit, non ut peccare sibi licere arbitraretur.

Idem, OPORTET ut oderis in te opus tuum, & ames in te opus Dei.

FINIS.

Errata.

Columna	linea	lege
2	11	conſtituit
8	3	orthodoxorum L. 4. 5.
14	7	Et dico eſſe neceſſaria tanquàm effectus fidei.
43	13	bonorum operum ad ſalutem.
	17	fides & neceſſitas.
69	8	Vocabuli libertatis.
85	6	Sed, pro, uel
118	25	alias, pro, &
157	13	libro ſecundo. Idem numerus deinceps etiam in toto ſequenti contextu ſeruandus eſt, ita, ut legatur 2 pro 1

Reliqua committimus pio & candido Lectori.

Pſal. 25.
Integritas & rectum cuſto-
dient me.

VVITEBERGÆ
Excudebant hæredes Georgij
Rhaw.
Anno M. D. LXIII.